



Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Lib. XII. Societas Jesu externis in Gallia, Italia, & Transsilvania, cladibus ac
naufragiis ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI. jactata, ex iis feliciter
emergit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)




LIBER XII.
PARTIS V.
HISTORIÆ SOCIETATIS
IESU.

Argumentum & Synopsis Libri XII.

SOCIETAS IESU gravissimis agitata motibus &
periculis in Gallia, Italia, & Transilvania
AB ANNO MDXCI. AD MDCXVI.



Libri XII. prospectus. I. Societatis vexata in Gallia causa. Hanc Lutetiâ pellere conatur Academia Parisiensis anno MDXCIV. Invidia eidem constat ex Petri Barrerii scelere. II. Odium & perniciis Patribus structa è Ioannis Castelli parricidio: quia litteris operam in eorum collegio dederat. III. Expelluntur Lutetia, & plerisque urbibus Gallia: nonnulli torquentur habita questione, unus etiam capite damnatur. IV. Societas paucis post annis, invidia senescente, ac debilitatis hæreticorum partibus, innocens ab Henrico Quarto pronuntiatur, & in urbes Gallia, unde pulsa fuerat, restituitur. V. Extincto Henrico vexatio recrudescit, ob Ravalliâci detestabile parricidium. VI. Varia instrumenta, & litteræ ad causam Societatis in Gallia spectantes. VII. Veneti à Paulo V. sacrorum interdictione feriuntur. Iussi Patres à Pontifice & Præposito Generali Societatis interdictum servare, nefas sibi esse putant non obedire. VIII. Quamobrem urbibus Venetæ ditionis excedere coguntur, in easque, nisi longo post tempore, non sunt revocati. IX. Transilvania conspectus. Quando fuerit in eam Societas introducta. Pellitur in exilium anno MDXCI. Revocatur MDXCV. Rursum ejicitur, ac restituitur. P. Alphonsi Carillii conatus ad religionem pacemque retinendam. X. Alii Patres ab hæreticis, maxime Arianis, pulsî, raptati, vulnerati. Emmanuel Nerius in templo mactatus; P. Michael Mardtus per insidias interfectus. XI. Causam Societatis egregie defendit P. Ioannes Argentus, provinciæ præpositus. XII. Indictum Patribus exilium Stephanus Botskaius, & Sigismundus Rakocius confirmant. XIII. Eisdem Gabriel Bathorius in perpetuum exterminare statuit.



I.
Libri duodecimi prospectus. Discrimen inter bella domestica & externa.



LUD inter domesticos regnorum tumultus & externa pericula, discrimen intercedit, quod civilibus bellis atteritur imperium, & suis sæpe viribus ruit; externis sæpe augetur, & valescit. Idem accidit Societati nostræ. Intestini tumultus, quos libro proximè superiori profecti sumus, certam illi perniciem, nisi Dei benignitas obstitisset, afferebant. Vera

Vera quippe illa scriptoris sapientissimi vox : *Discordia ultimum malorum*, quod vel hostis hosti imprecari possit * . Externa, quæ narrare aggredimur, pericula non parum ad ejus incrementum & gloriam profecerunt. Ea tantum hoc, & duobus qui sequuntur, libris attingemus, quæ Societatem in Europa concusserunt : quæ alibi contingere, momenti pleraque levioris, neque ad totum corpus Societatis, sed ad quadam ejus membra fere spectantia, posterioribus libris, ut series narrationis exiget, referentur. Ceterum haud sine dolore, ac suspensa veluti manu, hæc Societatis nostræ vulnera refricamus : sed marorem valetudo consecuta, & è vulneribus major sanitas, consolatur. Sanè id observatum est non semel, nullo nos ferme loco sub initia gravius fuisse conflictatos, quàm ubi postea suavius firmiùsque constitimus. Id, opinor, ob eam accidit causam, quòd Instituti nostri novitas multis ignota, nonnullis invisâ, progressu temporis ab illis cognoscitur; ab his etiam, invidia paulatim extincta, diligitur. Vix ulla gens est cui simus, quàm Gallicæ, cariores; vix ulla civitas, cui plus, quàm Lutetiæ debeamus: in Galliam tamen, atque adeo in principem Christianissimi regni urbem, nisi per obstructum salebris, & periculis infestum iter, aditus nobis non patuit.

Etsi autem gravibus in eadem Gallia procellis jactata Societas & multorum telis atque insidiis identidem fuerit appetita, nihilominus affirmari verè potest, neque plures, neque atrociori concitatos odio in ejus exitium conspirasse, quàm sub finem anni MDXCIV. & initium MDXCV. Primum inter illos, qui nobis adversabantur, habere locum possunt nonnulli ex Universitate sive Academia Parisina. Ubi primum Societas conspecta Lutetiæ fuit, videre sibi visi sunt in ea rivalem & æmulam. Livor, qui ejusdem professionis homines urere solet, exarsit acrius, cum eandem, propter nonnullam eruditionis opinionem, celebrari perspexere. Veriti ne plurimum de pristino splendore fructibusque deperderent, si altiores Lutetiæ radices ageret, eam extirpare decreverunt. Quæsitus est, quo pratexeretur invidia, color. Aiebant nos constatum ex hominibus alienigenis corpus esse: infici Gallorum mores genuinos istâ peregrinitate, pacem regni tranquillitatemque turbari. Deinde sibi jura Universitatis tuenda dicitabant, dignitatem conservandam: huic magnam afferri labem ex quo Jesuitis datus Lutetiæ locus: præmia vero professorum, & emolumenta justis debita laboribus, ad externos derivari. Jactabant istas in vulgus causas, cur Societatem Lutetiâ pellendam dicerent, vel ei saltem docendi publicè potestatem adimendam. Id jam anno MDLXIV. & MDLXV. tentaverant, ut suo fusiùs explicatum loco est *. Causam vicerat Societas, & collegium Parisiense non stabat modo, sed in dies magis & copia discipulorum & nobilitate florebat. Eandem acrius persecuti sunt litem anno MDXCIV. Addebat animos novus Universitatis rector Jacobus Ambosius, ad audendum pariter ac dicendum promptus. Ille IV. Id. Majas anni MDXCIV. libellum supplicem, nomine totius Universitatis, licet ab ea mandatum ejusmodi haberet nullum, senatui Parisino porrigit. Summa petitionis erat, ut Societas Jesu non solum Parisiis, verum etiam universo regno exterminaretur. Perturbari academiam ab hominibus novæ hujus sectæ (sic appellabat Societatem) querebatur; eosdem favere Galliæ hostibus; Ecclesiasticæ demum hierarchiæ penitus adversari.

Petitionis iniquitatem cum multa ostendebant, tum apertè significavit nobilissima pars academiæ, Facultas, inquam, theologia Parisiensis, legitimè congregata, in majori aula collegii Sorbonici: ubi, post maturam deliberationem declaravit, *Se quidem censere Patres Societatis Jesu redigendos esse in ordinem, & disciplinam Universitatis, regno autem Gallico esse nequaquam expellendos.* Facultas vero quam vocant Artium, dato libello, quem è quaternis nationum procuratoribus terni subsignaverant; item decani Juris Pontificii ac Medicæ Facultatis, palam testati sunt nullam se in rogatione rectoris partem habuisse *.

Nihilominus Patres angebat sollicitudo non levis, ob negotii gravitatem & difficultatem temporum: neque dubitabant quin satius foret efficere, si modo id consequi possent, ut ejusmodi causa penitus omitteretur; satis gnari, si semel

* Tacit. 1. Hist.

S. I.

SOCIETAS GRAVITER IN GALLIA VEXATUR.

2.

Quinam in Gallia Societatem anno præfertim 1594 & 1595 & quibus de causis vexaverint.

An. 1564. n. 89. & 1565. n. 8. & sequent. Parte III. Hist. Societ.

3.

Gravissima lis intenditur Societati ab Universitate Parisina.

4.

Rectoris petitioni reclamât Facultas theologia; Facultas Artium, & alie.

* Infra. §. XIII.

esset admissa, quamvis daretur iusta defensionis locus, tamen multa obiectum nobis iri, quæ in vulgus sparsa (ut est prona in deterius fides) crederentur, aut saltem famæ ad invidiam adhaerescerent. Verùm excutere molestum onus nulla ratione licuit: urgente potissimum Ludovico Servino, regiarum in senatu causarum patrono. Id restabat unum, ut dies ad respondendum constituta prorogaretur. Concessæ mensum duorum induciæ, operâ & beneficio Cardinalis Borbonii, Ducisque Nivernensis, quorum hic fundator collegii sua in urbe conditi; ille patrum habuerat Cardinalem Carolum Borbonium, Rothomagensis collegii & Parisinæ Professorum domus parentem. Exactis induciis, ventum est in ius tertio Idus Jul. Surgit ad dicendum pro academia in senatu Antonius Arnaldus, orator acer ac vehemens. Eadem, quæ rector Universitatis attulerat, occinit, amplificat, illustrat. Ejus oratio quatuor fere capita complectebatur: accusabat enim homines Societatis, quod Summo Pontifici peculiariter addicti essent, quod Hispani, quod seditiosi, quod regum ac principum parvicidæ. His de causis pestiferam gentem exturbandam Gallicis finibus concludebat. Triduum vix abierat, prodit in concionem alter causidicus, pro parochis Parisiensibus, contra Societatem, Ludovicus Dolæus, & contextam ex iisdem, quæ jecerant in nos Ambrosius Arnaldusque, probris orationem effundit, obtestaturque senatores ut, si consistere in Gallia tam detestabilem sectam patientur, omni saltem sacramenta dispensandi, & quavis aliâ, quæ parochorum sit, functione sacri muneris spoliatam aeternum esse jubeant. Displicuit ipsis, quorum agere se causam profitebatur, asperitas dicendi & sævitia; vixque sunt inventi quatuor ad summum parochi è quinquaginta, quor in urbe Parisina numerabantur, qui ejus orationem probarent.

Expectatio summa erat, quis, & quo tandem pacto, pro Societate responderet. Deterrebat causidicos hinc senatus Principis auctoritas à Societate alieni: inde causæ ipsius difficilis & periculosus status; quippe quæ defendi non posset, nisi multa de famoso catholicorum fœdere, de auctoritate Summi Pontificis, de legibus Institutoque nostro dicerentur, quæ tunc parum grata in vulgus erant. Dixit nihilominus Claudius Duretus. Ac primo quidem, cum probra in nos ab Arnaldo liberaliter congesta paucis collegisset, unum se desiderare in tam proluxa oratione dixit, unum reprehendere, quod nihil eorum quæ tam confidenter affirmaverat accusator, probavisset. Quare petiit ab æquissimis iudicibus, ut vel retexere quæcumque dixisset, vel idoneis argumentis probare cogeretur. Tum ad causam pressus accedens, multa sapienter ac placide subjecit; neque alio validius telo calumnias Arnaldi retudit, quam exponendis Patrum moribus & vita.

Dureti orationem plurimum adiuvit Cardinalis Borbonius, Archiepiscopus Rothomagensis; qui, licet gravissimo conflictatus morbo, quo III. Kal. Sextiles anni MDXCIV. maturius quàm Religioni & Societati expediret, absumptus est, nihilominus de nostra magis incolunitate, quàm de sua sollicitus, non satis habuit regem per litteras perque amicos pro nobis interpellare, sed nostram litem suam facere voluit, ac pro se nobisque Duretum perorare iussit. Societatis etiam causæ suffragata plurimum est auctoritas apud senatum, & apud regem gratia Petri Cardinalis Gondii, Parisiensis Episcopi; Francisci Rupifucaldii, tunc antistitis Claromontani, postea Cardinalis; Ducis item Nivernensis: necnon preces & querelæ civitatum Rothomagensis, Bituricensis, Billomenfis, & aliarum, quæ periculum a suis collegiis summa ope propulsabant. His obicibus paulum repressus impetus adversariorum constitit. Sed, ut oppositi fluvio aggeres, quas coercent undas, augent; sic Arnaldus ac Dolæus vehementius ad causam vincendam incubuerunt. Unum illis præcipuè dolebat, quod clausis curiæ foribus, non in plena, ut vocant, audientia perorassent; id enim in rem nostram sapienter à Dureto provisum, & impetratum fuerat. Igitur, quæ intra parietes quodammodo & in umbra declamaverant, ea in lucem edere constituunt: ac vulgatæ paulo post, paucis mutatis & mitigatis, illorum satyræ Galliam impleverunt.

Ne tamen silentium nostrum pro tacita eorum, quæ objiciebantur, confessione acciperetur, edita vicissim a nobis est & oblata senatui defensio. Eam P. Petrus Barnyus conscripserat. De accusatoribus pauca, de Societatis instituto paulo plura disse-

5.
Arnaldi oratio
contra Societa-
tem pro uni-
versitate. Item
Dolæi pro Pa-
rochis Parisi-
nis.

6.
Arnaldi & Do-
læi Satyræ op-
ponit Societa-
tis defensionem
P. Barnyus.
Ejus præcipua
capita.

rebat. Docerat neque Arnaldum, neque Dolæum, legitimam sustinuisse personam; utpote nec sibi auctoritate idonea impositam, nec ab iis, quorum intererat, approbatam. Hunc parochorum Parisiensium nomine verba fecisse, qui tamen ejus orationi subscribere negaverint, exceptis tribus ad summum, aut quatuor; in primis autem antistite Parisino refragante: Arnaldum verò præcipuam academiæ partem dissentientem habuisse. Societatem Jesu à Summis Pontificibus & Concilio Tridentino approbatam fuisse; receptam a regibus quatuor Christianissimis, quorum amplissima diplomata extarent: à cleri Gallicani comitiis Pisciæ congregatis laudatam, atque in urbibus & academiis regni præcipuis legitime collocatam. Eandem in corpus Parisiensis academiæ aggregatam decreto Juliani Sangermani, cum is ante annos unum ac triginta rectoris munere in ea fungeretur: paratam demum esse in leges academicas sacramentum dicere. Hispanum parentem esse fraudi familiæ nostræ non debere, cum S. Dominicus non esset suæ: multos in ea jam censeret Gallos; ac si qui essent in Gallia è nostris Hispani, illis præcipuum Gallici nominis studium legibus Societatis imperari. Aliquam apud homines, quâ valere dicebatur, gratiam bonis artibus, & utilibus publicè privatimque laboribus quæsitam esse. Quod si quid in recenti civilis belli procella peccatum à nobis fuisse diceretur, idem à religiosis & sacerdotibus ceteris, à foederatis omnibus, fuisse peccatum; ac si quem è nostro grege longius abripuisset astus communis mali, nequaquam id corpori universo ascribendum. De Societatis doctrina potius à discipulis nostris, quorum eruditio & pietas in oculis omnium erant, quàm à nobis responderi posse. Longè abhorrere ab opulentia, cujus nomine in invidiam vocabamur, frugalitatem ac tenuitatem in re domestica nostram: satis ab eadem refelli fabulam de onerariis illis navibus, auri & argenti multo pondere onustis, quæ ad nos ab ultima usque India statis temporibus advehi affirmarentur. Denique solemne votum, quo se Pontifici Maximo Professi Societatis obligant, eò duntaxat pertinere, ut ad evangelium deportandum in regiones disjunctissimas, sine ulla periculorum laborumque mercede, ad illius nutum proficiscantur. Ridiculum esse arbitrari, nihil aliud Ignatio propositum fuisse, cum suæ pietatis adjutores, & inflammatos eodem ardore cœlesti viros, ad remotissimas orbis terrarum partes emitteret, nisi ut Societatem suam, tanquam fortissimum agmen, instrueret adversus Gallos, à quibus victum se in obsidione Pompelonenfi meminisset, orbemque Carolo V. subiceret. Omitto nonnulla ejusmodi, quæ ab accusatoribus jactabantur, eo minus credibilia, quo magis inepta vel horrida. Ea quæ retuli majoris fere momenti erant, & cum ceteris fusus postmodum sunt à P. Ludovico Richeomo, sub nomine Francisci Montani, Gallicè refutata; mox à P. Gretsero reddita Latine, Belgicè à P. Costero; totidem enim linguis Arnaldina declamatio conscripta circumferebatur.

Jam fluxerat mensis totus, neque de causa quidquam senatus pronunciabat, plerisque senatoribus adversariorum conatus iniquos indignè ferentibus. Adjuvit etiam Antonii Seguieri, advocati regii, sapientissima oratio. Is pridie ejus diei, qui decidendæ liti præstitutus demum fuerat*, verba fecit frequenti senatu, & auditus admurmuratione secundissima, spem obtinendæ causæ magnam nobis fecit. Illuxit denique fatalis dies; jam ferebantur suffragia, jam sententiæ rogabantur, cum subito introgressus senatus Princeps alia, quæ publicam ad rem spectabant, negotia, sive jussu regis, id metuentis ne quid inde periculi tumultusque oriretur; sive ita casus tulerat, proposuit. Conversis eò repente animis & sententiis, dilata est causa, cum sex totos menses tenuisset. Consecutæ forenses feriæ: quibus evolutis, cum revocari & reponi non potuisset, gravioribus causis intercurrentibus; & quia judicum plurimi, comperta petitorum atrocitate, nobis accesserant, omiſsa penitus est. Non destiterunt adversarii faceſcere Societati negotium, eique modis omnibus invidiam & odium constare.

Faciebat ipsis animos senatus Princeps, cujus aliquam in nos acerbiter abunde compenſarunt, ac suis beneficiis longè vicerunt, ejusdem illustrissimi nepotes: in primis autem ille, qui dum hæc scribebamus*, principem in eodem se-

7.
Defensio Societatis à P. Ludovico Richeomo, sub nomine Franc. Montani edita.

* 20. Septemb. 1594.

* Achilles Harleau, an. 1700.

8.
Senatus Parisiensis Principis, & nonnulli Senatores cur tunc infesti Societati.

natu locum obtinebat, & quem Gallia universa, tanquam exemplar priscae integritatis & sapientiae semper suspexit. Tunc Senatus Principem duae contra nos commovebant causa; altera privata, publica altera. Meminerat se in Parisinam arcem fuisse conjectum sexto abhinc anno, cum ob Guisiorum caedem furens populus, in cives Henrico III. addictos, & ipsos curiae proceres bacchatus erat: hunc autem plebis furorē Harlaeus existimabat ab hominibus Societatis praesertim fuisse concitatum. Deinde publici, quod gerebat, muneris credebat esse, ut regno summo veretur Ordo religiosus, qui nimis deditus Pontifici, utque discitabat, *supra modum Papista* esse ferebatur: tum etiam nimium addictus Hispanis: id enim in nos jaciebatur passim, quia è Sociis nonnulli tunc, utpote recens in Galliam admissa Societate, externi erant; & fumantibus adhuc civilis incendii reliquiis, obverfabatur animis memoria Hispanorum, qui per istius belli causam in regnum à Gallis acciti, non tam de illo defendendo, quam occupando, cogitasse dicebantur. Praeter Senatus Principem erant aliqui senatores patroni novae doctrinae, partim aperti, partim occulti; hominum genus ubique nobis inimicum & infestum.

9.
Henricus IV. Galliae rex quomodo affectus erga Societatem.

Rex, etsi deposuisset haesim, nondum tamen pristinam erga haereticos affectus benevolentiam abjecisse putabatur, ac fortasse nondum esse maturum judicabat, quid de illis sentiret aperire. Summa ordinum omnium gratulatione, post abjuratos errores, Lutetiam sane fuerat ingressus*; nihilominus infirmam, ut sunt regnantium primordia, & veluti precariam adhuc auctoritatem exercebat: multa curiae Parisiensi, plurima Senatus Principi debebat. Societatem non odebat ille quidem, sed nondum amabat; quippe quam nisi ex haereticorum, inter quos educatus fuerat, sermonibus vix cognitam haberet: necdum etiam exciderant ejus animo irarum causae & suspitionum, ob ea praesertim quae contigerant in obsidione Parisiensi, in qua colligatos cum foederatis pro religione civibus Patres Societatis contra se suasque partes stetit arbitrabatur. Tamen, quae illius erat aequitas & prudentia, Societatem, quam in dies magis magisque pernoscebat, ab inimicorum telis facile texisset, nisi tetrum atque immane, quod mox referetur, facinus ansam illis praebuisset refricandi suspiciones praeteritas, & ipsius animum gravius exulcerandi. Jam eorum conatus ante paucos menses represserat, cum aspergere maculam P. Varadeo tentaverant ex impio Petri Barrerii scelere.

10.
Petri Barrerii scelus & supplicium. Conflata inde in P. Varadeum invidia.

Is navicularius olim, ac deinde miles, de consciscenda regi nece cogitavit. Cum de scelerato consilio nonnihil Lugduni primum aperuisset uni è nostris, ac postea Lutetiae Patri Ambrosio Varadeo, collegii Parisiensis moderatori, graviter ab iis reprehensus, & ab infando crimine deterritus est. Demum rex, ut ipse palam denunciavit, ab iisdem fuit admonitus de vesani hominis dementia: nam mentis parum sanae documenta multa, Lugduni praesertim, dederat. Haud ita multo post Meloduni captus, & merito supplicio affectus*. Perditi nebulonis consilium à P. Varadeo laudatum fuisse adversarii per insignem calumniam praedicabant; idque scriptor Gallicus affirmare non dubitavit**: licet è responsis a Barrerio, cum habita quaestione torqueretur, datis constaret Varadeum ab eo conventum, ipsam tanti flagitii mentionem respuisse; nec adduci potuisse ut audiret contentem, aut alium è nostris, ad ejus confessionem excipiendam substituere*. Haec ipsa Varadeus ad Claudium Aquavivam scribens sanctè confirmavit. At rex non solum de P. Varadeo questus non est, aut inquiri de illo iussit; sed etiam disertis verbis postea in frequenti procerum coetu affirmavit, Barrerium nulli Societatis sacerdoti de peccatis confessum fuisse. Fretus conscientia Varadeus refellendam calumniam non putavit, de qua lis ipsi nulla movebatur, praesertim cum multis & Parisiis & alibi Barrerius idem consulisset; qui sopitum quidquid isthinc suspitionis oriri potuisset, extinctumque scelestissimi capitis supplicio credebant. Postquam tamen in Henrici potestatem Lutetia venit, purgavit se Varadeus apud moderatores suos, & de Britiaci Comitis, aliorumque amicorum sententiâ, rege ipso annuente ac probante, in Lotharingiam secessit, ne quam inimicis occasionem nocendi praerect,

* *Execunte Augusto 1593.*

** *Merceray pag. 1079.*

* *Legge espollationem apologeticam P. Lud. Richetomi, c. 37. Orationem Henrici IV. infra.*

ret, ac præcipuè senatus Principi, cujus ea vox audita fuerat, nunc dari facultatem, ac venisse tempus, Jesuitas è Gallia pellendi.

Hoc ut consequeretur, machinam adhibuit, qua Patribus, utramlibet in partem se converterent, exitium videbatur certissimum allatura; ita ut effugere non possent, quin aut insignem observantiam, quam profitebantur in Apostolicam Sedem, aut debitum regi obsequium violarent. Oblata fuerat Gallicano clero jurisjurandi quædam formula, qua singuli se in fide ac potestate regis fore profiterentur his verbis: *Ego promitto & juro velle me vivere & mori in Fide catholica, Apostolica, Romana, sub obedientia Henrici IV. Christianissimi & Catholici Gallia & Navarra regis. Nuncium item remitto fœderibus omnibus & coitionibus, contra ejus obsequium initis, nihilque tentabo contra ditionem ejus aut personam.* In hæc verba ut jurarent, adduci non poterant religiosæ familiæ Carthusianorum, Minimorum & Capucinatorum, eam ob rem, quia vinculis anathematis nondum à Pontifice rex fuerat solutus. Nec dubitabant adversarii quin factura Societas idem esset. Sed Patres, consulto Cardinali Placentino, Sedis Apostolicæ Legato, qui Montargii tunc, in vicina urbe, versabatur, ac respondente dici sacramentum hoc posse; confirmati etiam cleri Parisiensis & Sorbonæ exemplo, retulerunt nihil in se futurum moræ, quin senatui obtemperarent. Illos igitur obsequentiores quàm rebantur, nacti, qui non fidelitatis probandæ locum, sed irrogandi causam exilii quærebant, de isto sacramento exigendo repente siluerunt; quo nimirum accepto Societatem approbandam, & in suis sedibus, perinde ac reliquas sodalitates, confirmandam videbant. Alias igitur adhibere artes placuit, ac præsertim populum in Societatem commovere, tanquam regno parum amicam & Principi parum fidam.

Quàm est in Gallia populus religionis avitæ retinens, tam est regibus suis deditus. Ab Henrico IV. tandiu dum ille Calvinii errores sequebatur, alienus fuerat: & quamvis in eo legitimum agnosceret Principem, tamen hæresim in Principe ferre non poterat. Eundem Henricum in gratiam cum Ecclesiâ reductam mirificè coluit. Idem populus Societatem, quia favere illam præ ceteris religioni putabat, caram habuit: postquam, invidorum calumniis & sermonibus in fraudem inductus, insensam regi & regno credidit, odio persecutus est. Ejus odii jam variis in locis exstare funesta cœperant indicia, maximè Lugduni: quæ civitas, secundum Lutetiam, vix ulli è primariis regni urbibus concedit. Dux Nemorosius in agro Lugdunensi fœderatorum partes aliquandiu tutatus erat. Sed cum dominari cœpisset impotentius, à Lugdunensibus conjectus fuerat in custodiam. Singulari apud eum valebat gratia P. Bernardinus Castorius; quæ tamen parcè utebatur, ut religiosum virum decet: imo etiam se ab ejus familiaritate paulum removerat, ut lubrica tempora suadebant. Nihilominus à plebe creditus est conficius, atque adeo auctor consiliorum, quæ gravem Nemorosio conslaverant invidiam. Auxit suspicionem discessus Castorii ad Congregationem Generalem*. Percrebuit rumor fugam illum arripuisse, ut meritas declinaret pœnas: retrahendum è fuga, impetum in ædes nostras faciendum; in iis latere arma, in gratiam perduellium abdita. Imminebat certa collegio clades, nisi pro concione suspensiones purgatæ palam fuissent, rumoresque confutati. Profuit etiam magistratuum prudentia, qui exploratis diligenter ædibus nostris, nihil armorum in iis inventum fuisse confirmarunt. Anno MDXCIV. civitas in Henrici IV. potestatem ultro venit, & solenne sacramentum illi dixit. Socii Lugdunenses hærebant anxii, & civibus accedere cunctabantur eam ob causam, quod Provincialis & collegii rector, ambo evocati Romam ad comitia Ordinis, tunc abessent, sine quibus in tanti momenti negotio statui nihil posse videbatur. Negabant etiam se cogi posse ut id facerent, quod Socii Parisini præstare, in urbe regni primaria, nondum jussi erant.

Populus in collegium procurrit: Patres incessit conviciis; & vim parabat. Apponuntur itaque ad omnes collegii aditus armatorum stationes. Sed ab iis molestiæ plus, quàm præsidii, oriebatur. Hæreticis permista plebs diu noctuque ædibus obambulabat: alii perfringendas januas, alii faces injiciendas clamitabant;

nec

11.
Jurisjurandi formula infidiose oblata Societatis Patribus, qui nondum hunc feliciter solvant.

12.
Societas grave periculum adit Lugduni.

* An. 1593.

nec prius ab hoc tumultu quies fuit, quam remotis prioribus excubiis, alias urbanus magistratus, per nos rogatus, & pacatiore, admoveret. Ne quis tamen daretur publicæ offensionis locus, decrevere Patres a concionibus habendis, ab excipiendis confessionibus civium abstinere; quæ duo munera scilicet præ ceteris patebant invidiæ & obrectationi: solitæ scholarum exercitationes nequaquam interim omiffæ. Hoc ipsum, unde remedium petebatur, damno fuit. Archiepiscopus Lugdunensis id consilii, se infcio, captum fuisse tulit graviter, præsertim cum Patrem Petrum Cotonum ad habendas per Quadragesimam in primario Lugduni templo conciones expetiisset: populus, quasi neglectus à Patribus & destitutus, ferocius agere cœpit. Magistratus denique PP. Bernardinum Castorium & Petrum Majorum, hunc collegii, illum provincia Lugdunensis præsidem, Roma post Congregationem V. Generalem redeuntes, mœnibus exclusit, quòd Nemorosio Duci favere crederentur. Suspicionem auxerat missa quædam ad eos epistola & intercepta, in qua nonnihil pejorem in partem accipiebatur.

Populi ac procerum offensio mutandi consilii necessitatem Patribus imposuit. Ad habendas pro more conciones, confessiones audiendas, & obeunda ejus generis munia se retulerunt: eaque re mitigati paulisper animi. Sed ira de integro vulnusque brevi recrudit. Allatæ Parisiis Arnaldi*, ac Dolæi declamationes, & in manum prætereuntibus ingestæ; necnon *Historia Ordinis Jesuitici* * ibidem Lugduni per eos dies recusa, majores odio populari stimulos adjecerunt: vix ut Patribus prodire in publicum, aut ullo in loco tutis liceret esse. Profecit aliquid defensio Societatis*, à P. Barnyo conscripta, & Lugduni tunc edita: necnon P. Greferi lucubratio, qua Historiæ Jesuiticæ scriptorem egregie refellebat. Sed plus multo valuit Henrici Ducis Monmorancii auctoritas. Ille regii stabuli Comes designatus, Nemorosio, qui agrum Lugdunensem devastabat, profligato, ad urbem accedens, patrocinium Societatis palam suscepit. Hac Ducis benevolentia fretus P. Castorius ausus est ineunte Decembri civitatem inire, tum ut negotia collegii domestica, quæ per litteras non poterat, coram componeret; tum ut causam suam Lugdunensibus & innocentiam probaret; quod coram ipso Monmorancio primariisque magistratibus, qua valebat facundia, præstitit. Cum tamen affirmarent plebeculam sedari non posse, nisi Castorius urbe cederet; tertio quàm venerat die, Socios ad concordiam & patientiam cohortatus, abscessit.

S. II.
INVIDIA ET
PERNICIES E
CASTELLI SCE-
LERE SOCIETATI
CONFLATA.

* Part. V. ad
an. 1584, num.
109.

13.
Castellus patri-
cida. Ejus indo-
les, mores, con-
siliium, facinus.

SED hæ Lugdunenses turbæ ludus erant præ tragœdia Parisiensis, quæ anni MDXCIV. exitum, & initium MDXCV. occupavit, & quæ adversariis occasi- nem diu quæsitam Societatis Lutetia pellendæ attulit. Non pauca narrantur, quibus nos admonere Numen, & instanti malo præparare videbatur. Conspicæ dicuntur nostrorum in vestibus, præsertim sacris, cruces, nulla mortali manu laboratæ. Ante annos aliquot malus dæmon ab uno è nostris exagitatus, ut occupati corporis possessione decederet, interminatus erat daturum se vicissim operam, ut illum è regno Galliæ, Sociosque, pelleret. Sacerdote verò dæmonem mentiri solitum dicitante, Atqui me nimis veracem, inquit, fuisse, ac vestro quidem malo, cognoscetis*. Sed quis impium unius post homines natos terrimi capitis furem & scelus tunc suspicari potuisset? Fluebant omnia secundissimo cursu; florebant Parisiensis collegii scholæ, quas amplius mille implebant discipuli, è primaria magna parte nobilitate; & in iis convictores circiter ducenti: templa Societatis populus frequens, conciones numerosus auditor spectatusque celebrabat. Latissimi de rege propediem a censuris per Pontificem absolvendo nuntii expectabantur: quidquid è superioris mærore temporis relictum erat, videbatur abstersum: cum adolescentis furiosi scelus annum extremum funestavit.

Huic monstro nomen, æterna sepeliendum oblivione, Joannes Castellus; pater, Petrus Castellus, mercator pannorum Parisinus: ætas, annorum undeviginti. Studiis ille quidem humanitatis & philosophiæ operam in collegio Societatis dederat; sed jam aberat septimum mensem à scholis nostris, & ad juris civilis publicam ex urbis academia scholam se contulerat. Indoles juveni tristis ac teretica: mores improbi: mens anxia recordatione criminum, atque unius præsertim, quòd matrem aliquando verberasset. Mærore defixum, & noctu non minus quàm inter-
diu

diu inquietum animadvertens pater, deduxit ad unum è nostris sacerdotibus, Joannem Gueretum, ipsius paulo ante in philosophia magistrum, qui coram parente illum ad scelerum detestationem, cum spe divinæ misericordiæ conjunctam, excitare conatus est. Recruduit atra bile accensus dolor; conscientia criminum ultrix mentem diro vexare pergebat metu: quem ut leniret, immane parricidium, impos mentis, an potius Erebi Furiis incitatus? designat, quo, tanquam de religione ac regno bene meritis, peccatorum veniam facilius (ita demens reputabat) consequeretur. Itaque Henricum, Lutetiam è Picardia * reversum affectatus, cum promiscua populi multitudine, adrept sub horam post solis occasum alteram, ad conclave, in quod se rex, ocreatus adhuc, receperat proceresque adeuntes excipiebat. Nactus locum ac tempus parricida, in regis jugulum involat: sed manu & cultro aberrante, quia rex caput, aliquem salutando, demiserat, tantummodo labium vulneravit, ac dentem unum excussit.

* Die 27. Dec. 1594.

Tetrum scelus funalium subobscura lux, circumstantium trepidatio, ac parricidæ porro velocitas, qui se in turbam rejecerat, parumper texerunt. Sed statim, vulnere animadverso, incredibilis omnes horror ac stupor invasit. Dum inter se taciti frementesque circumspiciunt, dum lumen admovent; frons, oculi scismaticum prodidere, & scilicet abjectus ad ejus pedes culter. Comprehenditur; fatetur. Sciscitantur de consciis & impulsoribus; negat auctorem sibi quemquam sceleris aut impulsorem extitisse: adhibentur blanditiæ, minæ intentantur, sic faucibus intenditur; nihil elicitur aliud. Quamobrem in carcerem amandatur, accuratius interrogandus. In eam rem dum delecti judices incumbunt, & genus, vitam, conditionem adolescentis exquirunt ordine, respondet se litteras à pueritia didicisse, scholas Patrum Societatis frequentasse: inde juri ac legibus cognoscendis dedisse operam, Marcilio professore. Ubi est auditum scholarum Societatis nomen, etsi propior ac justior cadere suspicio videretur in scholas juris, quas Castellus à nostris digressus frequentabat, exclamavit nescio quis nihil esse præterea interrogandum, patere sceleris auctores; parricidium sine dubio profectum a Societate scholis. Excepta vox & disseminata: reclamante contra & affirmante sapius reo, nullum è Societate auctorem sibi facinoris, ac ne conscium quidem fuisse. Quo mirari magis licet, tam insignem calumniam, nullo teste, nullis indicibus probatam, sed potius ab eo, unde quærebatur, constantissimè pernegatam, adeo facile nihilominus credi, imò etiam in regias, quæ ad oppida regni præcipua confestim sunt missæ, litteras conjici potuisse. Nisi quis forte præceptores ac professores omnes eorum scelerum, quæ à discipulis committuntur, reos esse convictosque velit.

14.

Ex eo quod scholas Societatis frequentasset, suspicio conjecta in Patres, quasi auctores consciosve parricidii.

15.

Eos apertissimè & constantissimè Castellus purgat.

Promptum est intelligere quid populus egerit, quidve dixerit, hoc rumore sparso. Patres, obseratis intempesta jam nocte collegii foribus, debebant pacati, cum aures illorum impulit insolitus æris campani urbe tota sonus. Mirari primùm; deinde, quasi aliquo felici nuncio Lutetiam allato, lætari; demum inquirere quid rei novæ contigisset. Resciant à prætereuntibus, indictas templis omnibus preces ob regem servatum, qui percussus a sicario periculum ingens modo evasisset. Tum enimvero gaudere vehementer, ac Superis gratias agere. Sub hæc prodeuntem, audito ad fores strepitu, janitorem milites occupant, eripiunt claves, limen obsident. Procedunt, cum infesta licitorum & militum cohorte, senatores è suprema Parisiensi curia duo, præeunte Guillelmo DuVair libellorum supplicum magistro. Collegii rectorem evocant. Multa obscurè perplexèque percontati, postquam sermonis animique constantiam conspexerunt, aperte quid agatur docent. Et quoniam fama erat Societatis hominem, aliena veste indutum, auctorem tetri facinoris extitisse, jubent proferri album Sociorum, quotquot in collegio versarentur, ut constaret neminem domo abesse. Profertur; omnesque, tribus exceptis, quos in valetudinario morbus tenebat, jubentur convenire unum in locum. Ibi citantur nominatim, & ut quisque in medium processerat, custodiendus militi traditur. Cuncti deinde, præter ipsum rectorem & ægrotos tres, populo vicatim maledictis, verberibus, fannis prosequente, abducuntur in ades Brifardi senatoris, qui præerat illi urbis regioni, in qua situm collegium; & amplum

16.

Armati collegii occupant. Patres abducuntur.

plum in conclave includuntur. Unus & quadraginta debebant in collegio Socii: omnium cubicula regio sigillo fuerunt obfignata, custodes additi adibus, qui neminem ingredi aut egredi paterentur. Imposita pariter domui Professorum, in Antoniana via, excubia; sed cum ibi è nostris pauciores degerent, uno sunt clausi cubiculo, stante ad januam custodia.

17.
P. Joannes Guere-
retus ad sena-
tus Principem
ducitur. Inter-
rogatus quid
responderit.

Castellus interim, ut in perscriptis rei gestæ actis traditur, attentius interrogabatur; cumque magistrum sibi philosophia dixisset fuisse P. Joannem Gueretum, datur negotium senatori Brisardo, paulo ante mediam noctem, ut eum deducat ad senatus Principem. Quaritur ex Guere to noritne adolescentem, unde noverit, quamdudum allocutus sit. Ad quæ Pater candidè respondet, notum illum sane sibi esse, quippe auditorem in philosophia suum toto propè triennio: adolescentem sibi à mensibus septem non visum auditumve, nisi ante dies quatuor, quando adductum à parente consilii causa, mærentem, & anxium, quòd matrem olim suam pulsavisset, solari & ad pœnitentiam adhortari conatus erat. Porro ne verbum quidem, nisi præsentè adolescentis patre & audiente, factum.

18.
Patres a Castell-
lo iterum in-
fontes declara-
ti remittuntur
in collegium.

Deduxerant Castellum satellites à Lupara (sic regiam Parisiensem Galli vocant) in carcerem, ad ripam Sequana situm, quod *Episcopi Forum* nuncupant, cum ipsius parentibus aliisque nonnullis. Eodem P. Gueretus perducitur, ac rursum interrogatus cum sibi constare deprehenderetur, quærunt ad extremum, nihilne de nefario parricidio cognoverit, & simul abjectum à sicario cultrum ostentant: quo ille aspectu conturbatus, ubi se collegit, omnino negavit auditum à se quidquam de tanto scelere vel cognitum adhuc fuisse. Producit ex improvise Castellus: sic enim usu venit, ut ejusdem criminis conscii, aspectu mutuo conterriti, vel obstupescant, vel quidpiam edant signi, quo nefaria consilia detegantur. Oculis omnium hinc in Gueretum, inde in parricidam, conversis, Castellus, sine ulla tergiversatione, se unum auctorem artificemque sceleris clamat esse. Nec dubitavit Guere tus palam urgere, ut apertè significaret, num sibi vel indicasset consilium suum, vel à se accepisset, aut ex institutione sua doctrinaque simile quidpiam hausisset. Neganti Pater instat; obtestatur, ac per quidquid est sacrum sanctumque orat ut dissimulet nihil, ac si quos novit è Societate conscios, auctores, vel impulsores, aperiat. Ad hæc ingemiscens juvenis, oculos manusque tollit, Et, *Heu me miserum!* inquit, *nihil omnino, nihil istorum verum est.* Eademque voce repetitâ sæpius, Gueretum & reliquos Patres absolvit, vehementer dolere se dicentis, quòd religiosis & innocentibus viris periculum sua causa crearetur; negansque se illis fuisse parciturum, si comperisset obstrictos crimine; cum ne patri quidem pepercisset suo, candidè confessus quos cum illo sermones habuisset.

* Die 28. Dec.
1594.

Hac tam constanti tamque perspicua sicarii confessione quæsitores permoti, ceteros è nostris, qui tenebantur in adibus Brisardi, redire ad collegium passi sunt. Castellus cum Guere to * amandatur in forenses carcerem, cognitione causa, uti petierat regius procurator, senatui demandata. Reversi ad collegium Patres considebant ad mensam sub meridiem: adest senator è suprema curia Masurius, cum Ludovico Servino, regio ejusdem curia advocato, & militum manu. Consistere omnes in triclinio, ut erant, jubet: missum se à senatu ad exploranda collegii cubicula; tum sumit deductorem è Sociis unum. Excutiuntur libri, charta, serinia. Aliquam suspensionem movit testamentum nobilis Hispani, qui Lutetia demortuus illud uni è Sociis, populari suo, servandum tradiderat; quia fasciculus vocem hanc præferbat, *Hispanica*. Sed excussis chartis, & re comperta, discessum est in cubiculum P. Joannis Guignardi, theologia in collegio nostro professoris; in cujus quadam capsula, non obserata, repertum fuit scriptum ab eodem exaratum anno MDLXXXIX. cum de nece Henrici III. multa inter theologos, etiam Parisienses, disceptatio esset: passimque de hoc argumento disputare aut scribere, piaculum nemo, Parisiis præsertim, duceret. Præter hoc scriptum, alios quosdam libellos auferunt invidiosi & periculosi argumenti, partim typis editos, partim scriptos manu. Fuerant illi è privatis nostrorum cubiculis in P. Guignardi cubiculum comportati, ut ab eo in bibliothecam, cujus curam gerebat, deferrentur

rentur quamprimum: ita quippe collegii rector jusserat, quasi procellam impendentem prospiciens. Denum è cubiculo P. Leonardi Perini, philosophiæ professoris, concionem seligunt, in hæc verba Christi compositam, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* His onusti spoliis exeunt, monito diligenter Provinciali, P. Puteano, ut Patres Guignardum Perinumque præ ceteris asservaret: qui sub vesperam per apparitorem educti, conjiciuntur in Palatii, ut appellat, carcerem.

Postridie IV. Kal. Januar. conveniunt in unum senatores duplicis curiæ: scilicet primariæ, & alterius quæ capitalium rerum judicia exercet, ac vulgò Turnella dicitur. Prodit in medium P. Guercus, & humili scabello, reorum more, insidens, ab ipso senatus Principe interrogatur iisdem de capitibus, de quibus ejus domi fuerat interrogatus, eademque respondet. Atenim, inquit senatus Princeps, cum videres adolescentem istis actum intemperis, quin cum in collegio retinebas? Quia, subjicit Guercus, non videbatur ea perturbatio esse tanta, ut in illud scelus immane prorumperet: neque vero tutius alibi filium credidi servari posse aut debere, quàm in paterna domo. Tum Princeps senatus: Quo sensu dixisti, præstare corporis quàm animæ jacturam facere. Negavit Pater id à se dictum, quod quidem meminisset. Saltem oblitus illarum concionum non es, quas more sodalium tuorum seditiosas ad populum habuisti. Cui Pater, nunquam se Parisiis ad populum è superiore loco fecisse verba respondit, privatim tantum ad vincetos in carcere locutum: de publicis regni rebus, ne domi quidem, solitum sermocinari. Postremo sciscitanti quo senatores, qui aderant, haberet numero & loco; assurgens & demisso paulum vertice, revereri se illos dixit, tanquam publicos juris interpretes, custodes legum & vindices: addidit nonnihil de judicium judice Deo: ac si qua pars Castelliani furoris ad se pertinere deprehenderetur, nullum se genus supplicii deprecari confirmavit. Hac interrogatione defunctus, in eam custodiæ partem, ubi tormentis exquiri solet veritas, ablegatur.

Interea decretum à senatoribus adversus Castellum & Patres conditum est, quod promulgatum anno MDXCV. & Parisiis editum legitur*. Principio narratur ipsum facinus, in qua narratione tria referuntur quæ spectant ad Societatem. Primum est, quòd Castellus interrogatus utrum philosophiæ dedisset operam in collegio nostro, ita esse affirmavit, ac Patrem Guercum annis duobus & dimidio à se auditum. Alterum est, quòd cum ex eodem Castello quæsitum fuisset, an cubiculum illud meditationum esset ingressus, in quod Jesuitæ sceleratissimos quosque introducebant, & ubi eorum oculis pictas dæmonum tabulas ac formas horribiles objiciebant; verbo, ut illos revocarent ad bonam frugem, re ipsa ut ipsorum mentes concuterent, & ad scelus aliquod impellerent; respondit se in ejusmodi cubiculum meditationum sæpius admissum. Tertio, idem Castellus narratur confessus fuisse auditas à se Patrum quasdam voces de Rege impias, & nefarias. Huic narrationi subtexitur ipsum senatusconsultum, in quo justa Castello poena statuitur: deinde decernit Curia *Ut presbyteri & auditores collegii Claromontani, ac reliqui omnes ex eadem Societate, tanquam corruptores juventutis, perturbatores quietis publicæ, Regis ac regni hostes, post triduum ab decreto promulgato, Lutetia excedant, ceterisque urbibus & locis ubi docent, ac toto post quintumdecimum diem regno: plebendi perduellium ritu, scubi post definitum tempus fuerint in Gallia comprehensi. Iubet eorum bona tum moventia, tum non moventia, in opera pia impendi ac distribui, curia arbitrato. Præterea vetat, ne quis Regi subditus adolescentes erudiendos amandet ad collegia Societatis extra regnum posita: qui contra faxit, in perduellium loco ac numero censeatur.*

Titulus hic toti decreto præfigitur: *Acta in foro contra Joannem Castellum litteris operam dantem in Societatis JESU gymnasio**: Non dabat operam litteris Castellus in gymnasio Societatis, sed Universitatis Parisinæ: scholas nostras septem jam mensibus frequentare desierat. Leve hoc fortasse videatur, apparet nihilominus de industria quæsitum, ut intelligeretur teterrimum facinus à scholis nostris doctrinaque profluxisse. Jam, quòd ille apud nos operam philosophiæ dederit,

19.
Scripta quædam è cubiculo PP. Guignardi & Perini auferuntur.

A. C. 1594.
Soc. 55.

20.
P. Guercus in senatu Parisiensi interrogatus reductur in carcerem.

21.
Conditur decretum quo Castellus necesse, Societas exilio multatur: quædam observantur in illo decreto.

* *Procédure faite contre Jean Castell, &c.*

S. III.
SOCIETAS LUTETIA, ET ALIQUOT ALIIS GALLIÆ URBIBUS, EXPULSA.

* *Écolier étudiait au collège des Jésuites.*

nullum in eo nostrum est crimen, quamvis philosophia recte ac sancte tradita, pessimè usus dicatur. In meditationum tenebricosum nescio quod cubiculum intromissus memoratur (ita spiritualia Sancti Ignatii exercitia imperitè ac pueriliter, ne dicam impiè, à quibusdam describebantur) in eo quoque sceleris nihil est. Quod enim subditur, illas meditationes esse comparatas ad sollicitandos hominum animos, & impellendos ad scelus; liceat mihi bonâ clarissimorum senatorum venia dicere, hanc interpretationem additam ab illis fuisse de suo. Demum, rogatus an non Patres Societatis de Regis nece crebros haberent sermones, respondisse narratur auditos à se cum ita loquerentur. Quos vero ita loquentes audierit, quo tempore, quo loco, non explicatur; quod tamen in re tanti momenti prætereundum non erat. Certe qui Castellianum scelus, recenti adhuc facti memoria, litteris prodiderunt, ac nobis etiam objecerunt, nihil ejusmodi ab eo responsum, nec Patres ulla ejus voce vulneratos tradunt: idque omnino congruit cum aliis, quæ retulimus & quæ palam constanterque à Castello sunt audita, responsis, quibus apertè Patres purgavit. Igitur hæc ab illo non fuisse dicta, aut non constanter affirmata, imo negata, cum veritas tormentis ab eodem certius expressa fuit, fatendum est. Cujus rei locuples videtur esse testis Henricus ipse Quartus, cum anno MDCIII. in frequenti procerum antistitumque confesso, declaravit, *Accusatos à Castello Societatis homines non fuisse*. Sed, etiamsi quidpiam ejusmodi auditum à Castello verè diceretur, tamen id neque in legitimum produci judicium, neque nostris fraudi esse debuit, post concessam ab eodem Henrico IV. rerum contra se, in tanta licentia belli civilis, dictarum ac gestarum veniam, edictoque sancitam.

22.
Cur Patres Societatis à Gallia exulare jussi sint à Senatu Parisiensi.

Ob hanc tamen causam, aliasque duas modo recitatas, Societatis Patribus exilium, cum insigni dedecoris nota, irrogatur: nempe quòd Castellus in eorum collegio philosophiæ studuerit; quòd in cubiculum meditationum ab illis fuerit immissus; quòd aliqua perperam in Regem ab iis dicta audiverit. En causa, en crimen, cur dicantur juventutis corruptores, quietis publicæ perturbatores, regni & Regis hostes; cur Lutetia regnoque toto exterminentur. At, si homines Societatis, patriæ hostes decreto senatus Parisini dicendi sunt, quo nomine appellabimus senatum Tolosanum, Burdigalensem & Divionensem, tot urbes, tot academias regni Christianissimi, quæ illos hoc ipso anno tuebantur, laudabant, expecebant? Adeone tot magistratus, tot eruditionis virtutisque spectatæ Gallos, aut patriæ oblitos, aut veritatis ignaros fuisse, ut reipublicæ hostes adsciscerent certatim in sua oppida, & retinendos quolibet periculo judicarent? Dum illos Parisina curia clamat esse juventutis corruptores, & reipublicæ perturbatores; reclamant alia curia; testantur editis decretis amplissimis, & ad ipsam Regem missis, eosdem esse moderatores juventutis integerrimos; pacis, concordia, religionis & regni studiosissimos. Tales certè credidit Henricus IV. cum eosdem tam honorificè restituit, cum illos in sua natali domo Flexiæ collocavit, cum ipsis conscientiam regendam vivens permisit, cum regale sui cordis depositum, quod etiamnum, ut præcipui amoris pignus æternum, servavit, testamento legavit. Tales vixi sunt sanctissimis hominibus Carolo Borromæo, Philippo Nerio, Francisco Salesio, S. Theresiæ, S. Magdalene Pazziæ, tot Summis Pontificibus, tot viris omnium ordinum probitate & doctrina præstantibus; ipsi denique Synodo Tridentinæ, ad quam flos Orbis Christiani convenerat.

* 29. Dec. 1594.
** Supra, num. 5.

23.
Castellus supplicio afficiendus, Patres culpa vacare sæpius testatur.

Confecto hunc in morem adversus Castellum & Societatem in curia decreto, eadem die * post meridiem Dolæus caudicus **, cum Dorone primario curiæ apparitore, aliique per senatus Principem immissi, rursus in collegium irrupunt: ejiciuntur suis Patres cubiculis, obserantur omnia & obsignantur: ipsi domesticum in conclave, tanquam in carcerem, compinguntur. Sub vesperam Castellus merito supplicio affectus est, percrexitque medio in cruciatu innocentiam Patrum contestari. Cumque, præcisâ jam manu dexterâ, candenti forcipe concerpendus, & equis in diversa concitatis distraendus esset, ac de Patribus aliqua voce perstringendis interpellaretur, exclamavit ingemiscens graviter, *Egone ut vita jam jam spoliandus, mentior? & hanc animam supplicii mergam sempiternis?*

piternis? Rursum, quod sapius dixi, testor ac denuncio, Iesuitam nullum consilii mei factive consortem aut conscium extitisse. Quibus verbis, uti & aliis argumentis, quæ jam explicata sunt, quæque postea referentur, planè refelluntur tum historici, qui Societati nostræ detestandam feralis parricidii suspicionem inurere conati sunt; tum convicia, fabulæque aniles, quas in libellis contra nos editis artifex fingendi livor procedit: cujusmodi est illud, quo plebs credula exarsit in nos vehementius. Aiebant P. Gueretum Castello, cum eum confitentem de peccatis audiret, pro pœna in sacramento imponi solita imperasse, ut Regi manus afferret. Cujus commenti partem aliquam miror equidem sic è trivio arreptam, & litteris consignatam esse ab istarum Galliarum barbarum Italo scriptore politicissimo*. Nam P. Gueretus, etsi sacerdos, nondum tamen confitentes audiebat, quippe theologia planè rudis, cui studere à duobus duntaxat mensibus cœperat. Adeo scriptoribus historiarum rumores vulgi cautè sunt excipiendi!

Postero die, qui fuit III. Kal. Jan. delecti à curia senatores collegium subeunt; reliqua cubicula, quæ ante biduum lustrata non fuerant, excutiunt ac pervertigant; diripientibus quod cuique commodum erat, famulis senatorum comitibus, & affectis. Interrogantur quoque nonnulli è convictoribus, etiam impuberes, qui testari in judicio ritè instituto non poterant, ac minis blanditiisque urgentur. Haud ita multo post abripiuntur in carcerem PP. Alexander Georgius rector collegii; Alexander Haius, rhetoricæ professor; Claudius Burlottus professor scholæ humanitatis, Guillelmus Curtius, & Jacobus Larius. Vergebat in vesperam supremus anni MDXCIV. dies, cum primarius curiæ accensus, convocatis qui supererant in collegio, Patribus; circumstante militum & leguleiorum caterva, senatus Parisini decretum, quod modo retuli, recitavit; pœnas constitutas, nisi statim obtemperaretur, interminatus. P. Clemens Puteanus, Provincialis, pauca modestissimè præfatus, respondit morem senatui gestum iri, simulque nonnulla postulavit. Primum, ut angustia temporis ad discedendum præscripti, paululum laxarentur, quo æs alienum dissolvi posset, ac negotia quædam componi: prorogatum est in diem VI. Idus Januar. Deinde, ut suppellectilis nonnihil ac sua cuique scripta efferre fas esset: ut idoneum daretur, ad popularem vim arcendam præsidium: ut Cardinalis Gondii Parisiensis Episcopi curæ fideique committerentur bibliothecæ duæ, una quæ in collegio libris optimis, magno labore & impendio conquisitis referta erat, haud scio an omnium locupletissima quæ Lutetiæ tunc visebantur; altera, quam domui Professorum Cardinalis Borbonius testamento legaverat. Eadem postredie per libellum supplicem curiæ oblatum, flagitata sunt. Pauca leviter & malignè concessa: expilata bibliothecæ; & exquisitorum voluminum viginti serè millia, quam jacturam diu lugebimus, partim sublata furto, partim divendita. Collegii pars hæreticis ad habitandum attributa, quorum unus-facello domestico pro culina utebatur: in alteram partem libri quidam regiæ bibliothecæ transportati. Professorum domus assignata cœnobitis S. Hieronymi.

His peractis, senatus ad exercendam de Patribus in vincula coniectis, præfertim de Guereto & Guignardo, quæstionem, ineunte Januario anni MDCXV. accingitur. Productus primo loco est Gueretus. Considebant quatuor senatores, cum scriba & forensibus aliquot ministris. Eadem, quæ ante paucos dies, ab illo quæsitæ*: eadem responsa data. Cruciatu adhibiti, nec minore constantia tolerati; affirmante identidem Guereto, se vera omnia elocutum, neque commissurum unquam, ut veritatem mendacio violaret: ceterum se in illorum potestate esse. Movit senatores patientia viri, lenitas, & candor innocentia tacitus index. Itaque in eum sævire desitum est, cum neque suâ, neque alienâ confessione premeretur. Ac sanè si doctrinam seditiosam, aut regno ac Regibus exitialem tradidisset; si hoc ipsi crimen impositum fuisset à Castello, ut quidam scripserunt, quid erat opus tormentis & quæstione? Erant in promptu ejus dictata philosophica, erant in urbe discipuli, unde veritas nullo negotio erui poterat. Omnibus excusis, nihil quod judicum acerba sedulitas carperet, est deprehensum.

Ventum igitur ad Patrem Joannem Guignardum, cujus causa expeditior, & pœne confessum crimen esse videbatur: prolata chartæ, quas in ejus cubiculo re-

24.
Calumniæ
P. Guereto affi-
cta refutatur.

* Davila, ad an.
1594.

25.
Patribus exilii
lex pronuncia-
tur.

* Supra. n. 20.

26.
P. Gueretus ha-
bita quæstione
innocens decla-
ratur.

27.
Sententia capi-
talis in P. Joan-
nem Guignar-
dum fertur.

pertas narravimus. Satis hoc argumenti visum & piaculi, ut in eum feralis sententia statim diceretur. In ea primo describuntur novem propositiones, & scriptis in ejus cubiculo, ut narrant, repertis depromptæ, quales in Henricum olim III. & Henricum IV. antequam hæresim deposuisset, à concionatoribus, à populo, ab ipsis theologis, palam jactabantur. Deinde subditur: *Ex his propositionibus liquido cernitur aequitati esse consensaneum, ac divinum appellari verè posse decretum senatus, contra Castellum parricidam confectum, quo Jesuita regno ejiciuntur, cum ex illius Jesuitæ scriptis planum fiat, quàm pestifera sit & exitialis, & quò spectet, ejusmodi hominum doctrina.* Postremo declaratur idem Guignardus damnatus Majestatis; jubeturque, recte collo indita, multam dependere honorariam, pro foribus ædis primariæ, Virgini dedicatæ, ac flexo genu, tadam gestans ardentem, recantare quæ dixerat; inde in patibulum tolli.

A. C. 1595.
Soc. 56.

Hoc ita fancitum VII. Id. Januariæ: processitque hac ipsa die sub noctem P. Guignardus, indusio solo amictus, ardentem cereum bilibrem manu, librum è collo suspensum, gestans. Ita curru devectus est ante valvas primarii Lutetiæ templi. Jussus submittere genua, delictique veniam à Deo, Rege & senatu petere; a Deo quidem, quem sæpe offendisset, veniam se dixit rogare suppliciter; ab Rege autem & iudicibus non esse cur veniam peteret, quos probè scirèt nunquam à se læsos fuisse. Ceteroquin ipsis, si quid in se committerent, exemplo Christi condonare ex animo. Ea dicentem bajulus, impacto cervicibus valido fuisse, graviter percussit. Quem respiciens vultu sedato Pater, Cur me cadis, inquit? Responsi lenitatem admiratus, qui adstabat, adolescens consilium cepit amplectendæ Societatis, eamque paulo post ingressus * Patris constantiam & virtutem prædicare non cessavit. Interea urgebant Guignardum feralis pompæ ductores, ut alia, quàm quæ modo dixerat, loqueretur. Cum extorqueri nihil ab eo posset, horam pæne integram in ponte Divæ Mariæ incerti constiterunt, donec resciretur à senatus Principe quid opus factò foret. Renunciante illo ut pergerent, itum est in plateam fontibus publicè plectendis additam, cui à Sequanæ ripa, secundum quam porrigitur, nomen inditum *. Postquam in scalas evasit Guignardus, ore composito modestoque, ad insuitam hominum multitudinem, silentio & commiseratione defixam conversus, pie religioseque contestatus est, neque se, neque Ordinem suum prorsus affinem esse Castellî flagitio. Quæ scripsisse nefarie dicebatur, illa tunc fuisse scripta, cum eadem a plurimis doctoribus, præfulibus, piis ac religiosis viris scribebantur publicè & jactabantur: id totum à Rege nuper clementissime condonatum: quòd vero ejusmodi scripta non combussisset, id oblivione factum & negligentia, non animo nocendi, vel iis unquam utendi. Sub hæc rogatus an pro Rege orasset Deum, oraretque; enimvero se oravisse sapius, ac etiamnum orare, dixit: statimque dejicitur è scalis, ac paulo post eadaver exurit. Oriundus erat Carnuto, Galliarum urbe in Belsiæ tractu. Annos decem & novem natus in Societatem venerat, anno MDLXXXII. Philosophiam docuerat Mussiponti, ac theologiam non vulgari virtutis & ingenii laude Parisiis profitebatur.

* La Greve.

Erunt aliqui, opinor, hoc loco, qui requirant æquitatem Parisiensis curiæ; aut severitatem accusent. Rogabunt cur aliis, quos longe atrociora de Rege & scripsisse & prædicasse constabat; quorum in bibliothecis, in ore, in manibus, etiam post publicatum de iis abolendis & exurendis edictum, famosi libelli, virulentæ satyræ, scripta nefaria & horrenda versabantur, quæ ad nostra usque tempora pervenerunt; cur illis, inquam, scriptoribus impune fuerit, uni Guignardo non fuerit? Reus ille sane dicatur, qui cogitarit hæc vel scripserit; sed veniã per optimum & humanissimum Principem universis, à quibus non tantum verbo, sed armis etiam & cruento bello fuerat appetitus, concessã, innocens merito dici potest; talemque se, vel hoc nomine uno, cum ad arborem infelicem duce- retur, palam potuit profiteri. Quod si ferale chartas penes se habuisse; non, ut æquum erat, lacerasse; aut in ignem projecisse quemadmodum edicto præscriptum erat, arguitur (hoc enim uno defendi sententia contra ipsum lata potest) licebat tamen

tamen clarissimis senatoribus regiam imitari clementiam, & incuriæ culpam vel condonare, vel poena saltem leviori multare.

Sed, quod attinet ad illam senatusconsulti clausulam*, in qua dicitur perspicui liquido è propositionibus P. Guignardi, quàm sit æquitati consentaneum decretum senatus, quo Patres Societatis in exilium pelluntur, quia ex illius Jesuitæ scriptis, inquit, intelligitur quàm pestifera sit eorum doctrina; pace illustrissimi senatus dixerim, nequaquam, uti prædicant, colligi è scripto P. Guignardi (si tamen hoc ejus scriptum, ac non potius illi affectum, ut quidam tradunt, fuit) hanc doctrinam, esse doctrinam Societatis. Hanc enim in scholis nostris nemo docet; hæc nostris legibus severissime vetatur. Non potuit ille nimirum scriptitare perperam aliquid, vel sentire, quin ea labe ad omnes ejus sodales pertineret; quin præstanda ceteris ubique ac luenda noxa foret? Jam, si doctrina hominum Societatis, aut vita, neque propter Castelli sceleratam facinus, neque propter opiniones aut scripta Guignardi, jure in suspensionem & culpam vocari poterat: quis eorum dolori non ignoscat, cum æmulorum oppressi potentia, domo, patria, fortunis omnibus per eos exturbantur, de quibus mereri quam optime semper studuerant; neque unus illorum, alterve tantum, sed quotquot in Gallia degebant, eadem sententia nullo discrimine feriuntur? Nam quod aliqui* exemplis Templariorum & Humiliatorum utuntur, ut probent alienum ab æquitate non fuisse, unius ob culpam totum corpus puniri; dissimilis est istorum Ordinum, & Societatis causa. Illorum enim aperta & confessæ erant flagitia; nec ea tantum unius, aut paucorum: lapsi turpiter mores exoleverant, ac vitiosa radix arborem à stirpe recidendam merito persuasit. De Societatis innocentia non dubitavit Harlaus ipse*, postquam invidia refrigit, confiteri; quòdque durius cum ea fuisset actum, asperitati cuidam temporum & perturbationi assignare. Neque aliter de Societatis exilio & P. Guignardi causa Philippus Huraltus, quem Cancellarium Chevernaum vulgo vocant, scribit in suis commentariis. *Societatis Patribus insens jamdudum, inquit, erant primarii Parisina curia senatores, & in omnem eos perdendi occasionem imminabant. Visa est hæc ipsorum consiliis opportuna, & prætextus apud populum plausibilis, quòd Ioannes Castellus operam dedisset litteris per annos aliquot in Parisina Societatis collegio. Quare mandatum dederunt quibusdam senatoribus, Societati palam inimicis, ut collegii Claromontani, in vico Iacobæo, cubacula omnia scrutarentur, & excuterent. Ibi in promiscua chartarum unius è Patribus congerie invenerunt, aut inventa finxerunt (nam id plurimi credere) nescio qua scripta contra Regum dignitatem, ac nonnulla nominatim contra Henricum III. ejusque successorem Henricum IV.*

Patres, collegio ejecti, Lutetia demigrarunt sexto Idus Januariæ, unà cum iis qui domi Professorum degebant. Incedebat religiosum & miserabile agmen, rebus omnibus ad longinquum & ignotum iter necessariis destitutum; vix uno stipatore, qui tot homines ab hæreticis & grassatoribus tutaretur, concessio. Prosequeretur populus, ab ira & furore ad commiserationem, contra quàm sperabatur, inflexus. Aliis canities senum, aliis juniorum aliquot ætatem; discipulis carissimorum præceptorum calamitatem lamentantibus, & in complexu longo hærentibus; adeo ut avelli vix possent, & secuti usque ad vesperam plurimi, multa jam nocte in urbem se receperint. Recursabat civium animis Patrum erga cives benevolentia, sollicitudo in communibus periculis, in tuenda religione fides, in adversis patientia. Oculos omnium advertebat præ ceteris P. Clemens Puteanus Provincialis, senatoria & clara in primis domo Lutetiæ ortus, doctrina ipse, eloquentia & prudentia, insignis; qui amicis stentibus & propinquis comitatus, exulem suorum turbam abducebat in Lotharingiam. Eò post diem quintumdecimum, quàm erant Lutetiâ digressi, pervenerunt incolomes, beneficio præsertim Ludovici Gonzagæ, Nivernensium Ducis, qui nonnullos è cohorte sua equites illis ad præsidium opportunè submiserat. Pars Sociorum Viroduni confedit, pars Mussipontum cum Puteano concessit; invitante ultro, pro sua erga Societatem constanti benevolentia, cujus nulla dies nos immemores arguet, Carlo II. Lotharingiæ Duce, ac sua oppida, fortunas, & sinum offerente.

Resta-

28.

Senatusconsulti in P. Guignardum lati clausula.

* Supra. n. 27.

* Mezeray, ad annum 1595.

* Apud Thuanum, libro 132.

29.

Testimonium Cancellarii Chevernei.

* Pag. 241.

30.

Patres Lutetiâ discedunt in Lotharingiam.

31.
P. Guereus cum
aliis quibusdam
Patribus exulare
iussus.

Restabant adhuc in Parisino carcere Socii septem, inter spem ac metum suspensi. Guereus, post quaestionem & cruciatum, cujus tristes notas diu retinuit, indictum est nominatim exilium, quia Joannis Castellii magister fuerat. P. Alexandrum Haium injectus, cum primum interrogaretur à Servino, metus & responsa parum explicata, in ultimum propè discrimen adduxerunt. Impeditum in respondendo expedit senator, cujus filium praeclarè instituerat, iudicesque movit, sacerdotem hunc patria Scorum, & insigniter probum candidumque esse. Quae olim dixisset imprudens, spectare ad caliginosum illud publici erroris ac discordiae tempus, quod cum Regis benignitate oblitteratum esset, non decere ut poenas alienigena lueret, quas indigenis condonatas esse faterentur. Sic ereptus impendenti periculo Haius, & in tetrum atque infimum reductus ergastulum, inde IV. Id. Januarii cum ceteris est emissus, ea lege ut intra diem unum Parisiis, intra quindecim regno excederent. Interim pristinas in aedes redire prohibiti, pernoctarunt in Cluniacensi collegio, ab religiosis sanctissimae familiae alumnis perhumaniter excepti, & officii causa ibi salutati à Sorbonicis doctoribus bene multis, ipsorum vicem ex animo dolentibus. Lutetia postridie relicta, paucis diebus Mussipontum tenuerunt. Inde, qui Praepositum Generalem Societatis de re tota edoceret, contendit Romam P. Alexander Georgius: Guereus Lauretum voti solvendi causa profectus est.

32.
Erecta Lutetiae
pyramis, in
quam incisum
Societatis exi-
lium.

At Parisiis nondum satiata erat illorum inclementia, qui senatum adversus nos commovebant; quique Societatem, antiqua in eam invidia, vel odio religionis accensi, funditus in regno Christianissimo delere statuerant. Parum illis visum est laniasse corpora, domos eripuisse, fortunas dissipasse, nisi defigerent in civium oculis iniustam nomini nostro ignominiam, & ad eandem posteris propagandam, memores facti notas in aë & marmor incidere. Dirutis aequatissime solo, ut curia iusserat, Castellii adibus, relicta vacabat area in frequentissimo civitatis loco, ante ipsas basilicae, ubi senatus habetur, fores, quam Palatium hodieque vocant, quia prisca Regum Franciae domus erat. Hic erexerunt pyramidem, quadrata basi, cujus uno in latere visebatur insculptum senatus decretum, quod modo recitatum est*. Aliis in lateribus inscriptiones variae legabantur, oratione vineta numeris & soluta, exaratae magnam partem à Josepho Scaligero, qui non putavit odium in Ecclesiam catholicam suam expleri satis posse, nisi apertas etiam Societati nostrae inimicitias indiceret. Unam aut alteram inscriptionem exempli causa placet referre. *In memoriam ejus diei, in quo seculi felicitas, inter vota & metus urbis, liberatorem regni, fundatoremque publicae quietis a temeratoris infando caepo, regni autem hujus opes attritas ab extremo interitu vindicavit: pulso praeterea tota Gallia hominum genere nova ac malefica superstitionis, qui rempublicam turbabant, quorum instinctu piacularis adolescens dirum facinus instituerat.* Hac in oratione cum servatum felici fato ad urbis & regni decus Henricum dicunt, Lutetiae pariter & Galliae merito gratulamur. Quod Societatis Jesu clericos, ab Ecclesia probatos, laudatos à Concilio Tridentino, à Gallia ipsa expectitos, exceptosque, *genus hominum nova ac malefica superstitionis* vocant; appellatos eo nomine Christianos, dum faveret in Ecclesiam nascentem Neronis immanitas, meminimus*, & ignoscimus. *Quod instinctu nostro dirum facinus institutum affirmant, negamus. Negavit hoc semel, iterum, tertio, interrogatus, tortus, moriens, Castellus**: cujus è responsis profecto si vel minimae suspicionis aura potuisset excipi, nequaquam id in promulgata contra nos exilii lege tacitum esset; neque plectendi duntaxat exilio affines tam tetri sceleris, sed omnibus suppliciiis maerandi merito fuissent. Negavit hoc ipsum Henricus IV. cujus id rescire maximè intererat. Hoc nullo teste, nullo indicio, vel argumento, probatum unquam fuit: neque objectum P. Guereus, quem philosophiae doctorem Castellus habuerat, neque ceteris collegii magistris, quos diu examinatos excussosque minime suspecti iudices infanda suspitione liberarunt. Iisdem argumentis perspicue refellitur altera inscriptio, de Societatis doctrina, per quam licere dicitur *unctos Domini, divinaeque Majestatis vivas imagines à quolibet occidi.* Hanc vero doctrinam & detestamur, ut divinis humanisque legibus vetitam; & propriis etiam legibus

* Num. 21.

* Suet. in Nerone.

* Supra. num. 18.
23. & 6.

gibus nominatim condemnamus, ac nostris omnibus interdixit esse volumus: neque illam Gueretus, aut Guignardus, aliquando tradiderat. Cum hæc tam aperte falsa publicis inscripta notis legerentur in urbe regni principe, mirabitur nemo pestilentes adversus nostram Societatem libros, & virulentas satyras, impune voluisse. Omnia singillatim aggredi ac refellere animus & otium non est, idque ab eruditis scriptoribus abunde jam factum. Non possum tamen facere, quin de adversariorum illiberali artificio exoptulem, qui sordidos aliquot livoris & malevolentia fetus nobis supponere, ac tanquam Societatis partus vulgare non dubitaverunt. Talis est satyra cui factum ab illis nomen *De abdicatione Henrici III.* quam è Calviniana officina prodixisse nemo, qui eam legerit, inficiabitur. Similima est ratio scripti alterius, quod *Apologiam pro Ioanne Castello & Patribus Societatis* inscripserunt: de quo illud modo dicere satis fuerit; Henricum IV. in frequenti procerum cœtu aperte declarasse, Nos ejus libri auctores non fuisse.

Sed reliquos feralis tragœdiæ actus prosequamur. P. Ambrosius Varadeus, ut è litteris P. Clementis Puteani, ad Claudium Aquavivam Præpositum Generalem scriptis, intelligitur (nam illud alibi, quod quidem sciam, non exstat) propositus est publicè Parisiis in tabella picta pendens è patibulo. Quid illi crimini daretur, supra narratum est*. Eum infontem, & crimine ac suspitione liberatum ab ipso Rege, docuimus: tamen ficti sceleris renovandâ memoriâ, & picti supplicii proponendâ imagine, invidiam & odium populi vehementius in nos accendi posse putaverunt. Carcere item, ac postea exilio multatus est adolescens externus, olim inter convictores nostros pædagogi partes & munus obire solitus. Interceptæ quædam ipsius epistolæ, & reperta in conclavi carmina, suspitionem de illo sinistram iniecerant. Proditum à civitate regni primaria exemplum ad alias quasdam manavit. Illarum, quæ à senatu Parisiensi pendent, ab eoque jura petunt, quemadmodum facile prima est Lugdunum, sic ab illo prima Societatis exigendâ mandatum habuit. Perculit Patres funesta denunciatio, & periculi magnitudinem docuit indictam scholis ferale justitium, impositusque domui nostræ militum globus, qui licet paulisper injuriam plebeculæ, in occasionem ædium diripiendarum imminens, prohibuit; magna tamen molestia damnoque collegium affecit. Majorem incussit metum calumnia gregarii militis, unum è nostris Lugduni degentibus, Castelliani sceleris fuisse conscium affirmantis. Auditum à se illum aiebat, cum Nemorosio Duci diceret, magnam brevi Gallicis in rebus mutationem fore. Porro ejus vultum, staturam, habitum, ita describebat, ut visum magistratui fuerit indicium minimè contemnendum. In collegium introducitur: convocantur omnes ad unum Socii, quos nebulo impudentissimus ubi circumspexit, ubi singillatim lustravit, pertentavit, excussit; ad extremum abesse dixit aliquem, & pallore suo fugaque repentina, metu nos & periculo liberavit. Hoc admoniti exemplo sapientes magistratus pleraque alia, quæ in Societatem improbè & contumeliosè jactabantur, contempserunt. Quamobrem recludi jussere scholas, & à nostris ædibus custodiam amoverunt. Fluebant omnia satis leniter ac pacatè; Monmorantius, Comesque Turnonius, ut moræ nonnihil interponeretur postulaverant, quoad litteras à Rege acciperent, cui scripserant ea de causa. Sed cum expectatum dies aliquot fuisset, cum urbani regique præfecti objicerent jussa Parisini senatus & auctoritatem; significatur Sociis pridie Kal. Febr. urbem postredie deserendam. Unus & quadraginta discessere; quò pergerent, quam inirent viam, quo pacto certissima pericula fugerent, incerti anxique. Dolam ostioni contenderunt: alii secundo Rhodano devecti partim Camberium, partim Viennam ac Turnonium; nonnulli Avenionem, devenere.

Scitum est illud, amicorum certam fidem in incertis rebus adversisque cognosci. Quod cum pluribus locis, tum vero in civitatibus Bituricensi, Nivernensi, Billomensi, Divionensi, Tolosana, & aliis quibusdam nostra Societas hoc anno, si unquam aliàs, intellexit. Avaricum Biturigum civitas est amplissima & clarissima, Parisiensi obnoxia senatui. Hanc & reliquam provinciam gubernabat Marecallus Castræus, quàm Deo Regique fidus; tam studiosus nostri. Presso celatoque dies aliquot decreto Parisini senatus ad se misso, ubi vidit ulterius pro-

33.

De P. Ambrosio
Varadeo.

* Num. 10.

34.

Socii Lugduno
Biturigibus. Ni-
verno & Billo-
mo agrè dimit-
tuntur.

procrastinandi locum non esse, rectorem collegii monet cogi se triste ministerium exequi, ac decretum ostendit, non sibi minus quam urbi, totique provinciae permolestum; sperare nihilominus, ipsos propediem non modo revocandos ad antiqua domicilia, sed novis etiam augendos. Exeunte Januario triceni circiter Socii collegium eò difficilius aegriusque deseruerunt, quò erant nobilissima civitati vinculis arctioribus obstricti. Eadem Nivernensibus imposita necessitas eundem ipsis dolorem attulit, ac regio maximè pratori, cujus filii duo nostram in disciplinam traditi, magnum collegii ornamentum erant. Ejus benevolentia rector usus, diem extraxit usque ad finem mensis Februarii. Acceptis interim, Ducis Nivernensis beneficio, regiis, quæ tutum præstarent ubique transitum, litteris; & facultate constanda ad as alienum dissolvendum, comparandumque viaticum, pecuniæ ex annona supellectilique domestica, vicini discesserunt Rodumnam, unde Camberium, gravissimis præter omnem spem periculis Dei munere superatis, incolumes attigerunt. Aegrius è collegio Billomensi, nec nisi quinto post mense, migratum. Certamen pulcherrimum inter Patres & populum exstitit; hunc Parisiensi edicto parère omnino recusantem; illos obtemperare cupientes. Plebs, proceres, Carolus Valefius Arvernorum Comes, ac pro Rege gubernator; Claromontanus Episcopus Franciscus Rupifucaldius, Romanæ postea purpuræ clarissimum lumen, & Societatis nostræ præsidium ubique tutissimum; tota regio, Sociorum exculta curis, palam prædicabant malle se quovis exitio interire, quam dulcissimos amittere hospites, decus litterarum, tutamen religionis. Et dictis facta responderunt: portas obsidebant diu noctuque, ne decretum in urbem deferri posset. Quod cum intellexissent qui hoc à senatu Parisiensi mandatum habebant, id assequi se alia via commodius posse non putarunt, quam per ipsos Patres; a quibus mitigati demum sunt cives, & ad accipienda senatus, cui obnoxium Billomum est, imperia flexi. Nihilominus res lente procedebat, quia spes aliqua dicebatur affulgere fortunæ melioris; cum à senatu tertiâ, & atrocissimâ, venerunt litteræ, quibus ut Patres intra triduum urbe cederent, planè præcipiebatur. Tum verò brevi lætitia in luctum versa, omnes accurere turmatim domum, complecti Socios, illorum precibus se ac sua commendare. Ad præstitutam diem, egressi sub initium Sextilis mensis, in vicinum Episcopi Claromontani castellum deduci fuerunt, ibique omnibus officiis humanissimè cohonestari. Quam benignitatem illustrissimi præfulis, perduellionem quandam interpretans Parisina curia, cum id præfuli vitio verteret, respondit ille palam edito scripto, *Nequaquam se potuisse non obniti pro viribus, ne sacer Ordo Ecclesiæ tam probatus, universa Gallia tam utilis, Claromontana diœcesi tam necessarius ejiceretur, culpa vel nulla omnium, vel communi secum, atque à Rege abolita.* Anicium Socii se contulerunt, (ubi proximum atque adhuc integrum erat collegium) undeviginti numero; nam unus ante tres menses peregrè profectus, à grassatoribus hæreticis in hospitio fuerat inmanissimè trucidatus*.

* M. Joannes Domestius.

35.
Rotomagenses,
Augenses, & Divionenses, sua collegia retinere incassum tentant.

Quamvis in senatum Normanniæ juris nihil Parisino sit: in communi tamen trepidatione, valuit exempli vis; & extremo Januario relicta est Rotomagus. Discedentium marem levavit humanitas civium ornatissimorum, comiter & amicè deducentium; nec verbis tantum bonis, sed etiam viatico prosequentium. Septem & viginti exules religiosos, per collegia Belgica dispersos alieni fovērunt, quos ejecerant sui. Eandem in Flandriam discessum fuit ex Augensi collegio, quod à Principibus Guissis conditum, servare ipsorum gratia precesque contra Parisini senatus auctoritatem, minimè valuerunt. Quin suum retinerent Divionenses adeo non per ipsos stetit, ut, cum regi se dederunt, ultro conditionem hanc adjecerint, ne quid damni collegium pateretur. Ex quo refellas historiæ Gallicæ scriptorem, nobis & Ecclesiæ iniquiorem, qui senatus Divionensis decretum nescio quod Parisino simile comminiscitur. Longè ab illo decreto commentio discrepant litteræ, quas iidem Divionenses Patribus discedentibus, scriptas communi consilio, & urbis sigillo munitas, dederunt pridie Idus Junias ejusdem anni MDXCV. quibus testantur rectorem & alios collegii Patres, in suis muneribus probè ac sapienter esse versatos; neque commisisse, ut quisquam de ipsis

ipsis conqueri jure possent. Significant dolorem suum, quòd eos dimittere civitas cogatur, quam aiunt intelligere, ac porro in dies magis intellectuam, nec ipsam modo, sed integram Burgundiam, quantum iis amissis detrimenti faciat. Initio anni, Burgundiæ Ducatus adhuc pro fœderatis obtinebatur à Duce Meduano: sed is brevi cedere compulsus est, & provincia tota octo diebus recepta. Cives admodum quadringenti decreverant Henricum adire, illi studia totius urbis pro retinendis Patribus demonstrare, seque prædes pro illis offerre: sed hic civium ardor ne suspiciones iniquas auget, quibus Regem adversus Patres incendere adversarii non cessabant, neve speciem factionis & coitionis præberet, formidatum est. Gratia civibus amantissimis acta; qui, quoniam aliud non poterant, nummos, præsidium militare, ac demum litteras obtulere commendatitias, amplissimis verbis ad Dolanos scriptas, ad quos decem & novem Socii concessere.

Duæ res non levi solatio Gallicanam Societatem, tot locis expulsam, tot jacetam incommodis, affecere. Primum constantia Sociorum, præsertim juniorum, & in instituto vitæ retinendo fides: quorum plurimi cum in patria consistere, & ad invitantes propinquos parentesque se recipere potuissent, non respexere tamen retro, nec à militia his temporibus tam difficili missionem postularunt. Quos inter laudem haud exiguam merentur tres fratres, Matthæus, Martinus, & Nicolaus Dujatii, qui Parisiis oriundi, locuplete ac nobili domo, nullis carnis & sanguinis blandimentis induci potuerunt, ut ab afflictâ Societatis matris fortuna, ad paternas opes, florentemque familiam, desciscerent. Quin, hoc ipso tempore, quo Societati Gallicæ omnia erant infestissima, non pauci adolescentes spectatissimi ut in eam ascriberentur summo studio flagitarunt: quod aliàs quoque in gravissimis calamitatibus nostris, nec uno in loco, animadversum fuit. Unicum hujus anni exemplum adscribam. Ludovicus Maratius, Trevis, quæ Campaniæ Gallicæ inclita civitas est, illustri loco natus, annum agebat septimundecimum: egregius juvenis, & gestis postea in Societate muneribus, singulari sacræ doctrinæ cognitione, quam annos quatuor & viginti docuit; scriptis theologicis, quæ exstant; prudentia, morum candore, integritate vitæ, clarissimus. Hic Societati nomen dare cupiens, ne voti compos fieret gravem patiebatur à parentibus moram; qui cognito filii consilio, ut opibus & gratia pollebant, edictum à senatu Parisiensi obtinuerunt, quo adolescentem admittere vetabatur. Hoc ille decreto nequaquam deteritus, Virodunum, urbem Lotharingiæ, ubi Societatis tirocinium erat, Parisino senatui non obnoxiam, rectâ contendit. Euntem equites sex consecuti comprehendunt, & Trevas reducunt ad patrem, oppidi præfectum. Septem totos menses oppugnatus omnibus machinis, quibus *caro & sanguis* pugnare, ac valentissimos dejicere solent, eas innocenti, qui minime suspectus erat, dolo evertit. Fingit se tandem fractum, & prope domitum. Quæ spe oblata dimittitur à parentibus Lutetiam, odio tunc nostri nominis flagrantem. His Maratius flammis amorem in nos suum accendit, ac minime observatus, quippe qui jam victus credebatur, effugit per gravissima savientia ubique belli pericula, in Belgium; adjuvante Virodunensi Episcopo, Erico à Lotharingia, & fugæ præsidium clam subministrante. Sic Tornaci tirocinium, mundi parentumque victor, inchoavit*.

Alterum, unde maximam in calamitate voluptatem hausimus, benevolentia fuit, ac fortitudo, quam præ se tulerunt in Societate retinenda nonnullæ provinciæ, ac regni Parlamenta, ut Galli vocant, idest, supræmæ curiæ. Præcipuam erga nos humanitatem exhibuit Tolosani senatus ea pars, quæ Tolosæ confidebat: nam altera, quæ Bliteris versabatur, nobis extitit infensor, & edicto gravi, exitium Turnonensi collegio denunciaverat. Sed obstitit comes Turnonius, & à Rege, quem supplex Divione convenerat, ut staret collegium impetravit. Ad Henricum ire statuerat eodem tempore curiæ Bliterensis præses, maturaturus perniciem eidem collegio, cui tam crudeliter infestus erat, ut peritum se milites dejeraret potius, quàm Jesuitarum in eo loco vestigia relinqueret. Ejus iter & consilia mors abruptit. In ejusdem collegii ruinam conspiraverant solitis artibus hæretici; sparserant rumorem, digressos Turnonio in oppida vicina Patres populi

36.

Sociorum in
communi clade
constantia, ju-
niorum præser-
tim ac tironum.

* Obiit Parisiis
anno 1664. æta-
tis 87.

37.

Tolosani sena-
tus in Societate
retinenda beni-
gnitas. Servata
collegia.

lum adversus Regem concitasse. Sed *os loquentium iniqua obstructum est* in Occitania comitiis, quae perhonorificum testimonium ediderunt de Sociorum tum antiqua in Reges & constanti fide, tum egregiis in regionem circumjectam promeritis. Non dissimili via clades Patribus Aniciensis collegii struebatur, quos Hispanorum insignia medio in foro protulisse nescio quis jactabat. Itaque illis exilium oppidi regius praetor indixerat. Sed edictum rescidit senatus Tolosanus, & Socios civitati commendavit. Rutenis, & in ceteris urbibus quae jus ab eodem senatu petebant, periculi nihil, aut parum fuit. In Aginensi collegio trepidatum, ob rectoris Gonterii animum duriorem. Sacramentum Regi nondum solennibus carimoniis expiato, dicere recusabat in ea verba quae Patribus Parisinis proposita fuerant*. Sed Claudii Aquavivae litteris admonitus paruit, ac discussum est periculum, quod Aquitaniae collegiis imminerebat: nihilque Sociis in illa provincia illatum detrimenti: nam Burdigalam deserere ante sex annos coacti fueramus, ut est in loco memoratum*. Alia collegia patrocinio civium & procerum benevolentia, naufragio subducta sunt. Singulos appellare jucundum esset, sed vereor ne oratio, si quos omitterem ingrata; si nominarem omnes, infinita esset. Neque hanc singularem erga nos benevolentiam in Gallis duntaxat laudare jure possem, sed etiam in exteris: in quibus, ut alios praeceam, Novellariensis tirocinii nostri fundator Comes Camillus, testamento cavuit ut de Sociis, qui Gallia erant ejecti, decem ipsius sumptibus alerentur: certumque, velut futuri praecius, definitivum tempus, quo elapso in Galliam coepta est Societas, Deo favente, restitui.

* Num. 11.

*Parte V. ad annum 1589. num. 132. & seq.

38.

Summi Pontificis ob exactam Gallia Societatem maror. Possesvinus in Galliam missus.

At Romae quantum admirationis & doloris, tum Pontifici, tum Claudio Aquavivae ac nostris omnibus, attulerint isti nuncii conicere promptum est. Auditum esse Clementem Ossatus narrat, cum diceret iniquissimum videri, ob unius alteriusve culpam, si qua esset, plesti Ordinem universum, de Ecclesia bene meritum, ac de ipso Rege. Testis quippe Clemens erat, ut ipsemet asseruit non semel, quo studio incubuerant Patres Societatis ad promovendam in Romana curia causam Henrici IV. postulantis ut anathemate ob haeresim contracto solveretur. Ex iis P. Antonius Possesvinus, ob navatam in ea re diligenter operam, Henrico acceptissimus; Monmorancio, Duci Nivernensi & proceribus aliis notus gratulique, Lutetiam, assentiente Summo Pontifice destinatur ab Aquaviva; ut afflictas in Gallia res Societatis erigeret. Parisios accedere prohibitus, Lugdunum petere jubetur, ibique Regem praestolari. At Rex levi morbo primum, deinde Burgundica expeditione, districtus Lugdunum non venit. Ad eum progredi parabat, cum a proceribus, aulae temporumque gnaris, rescivit, tam gravi, tam recenti plaga remedium tam cito frustra quaeri; & ab Aquaviva in Urbem est revocatus. In reditu Sabaudia Ducem adiit, qui a Gallis tunc adversus Possesvinum durius accepit, suspicatus ob regia negotia missum in Galliam a Pontifice. Ducis offensioem & suspiciones facile mitigavit, affirmans unam sibi causam eundi Parisios fuisse, ut Ordinis nostri deploratis rebus consulere.

* Henr. Spond. ad an. 1594. n. 1. Duplex, &c.

Admonet me hic locus de ficto ejusdem Possesvini exilio, quod apud rerum Gallicarum scriptores* nonnullos legere est. Henricus IV. post ejuratam haeresim, miserat Romam exeunte anno MDXCIII. Ludovicum Gonzagam, Nivernensem Ducem, qui Summo Pontifici rite id significaret, ab eoque peteret ut Regi anathematis vincula demeret. Clemens, cui persuasum fuerat a catholicis in Gallia foederatis, Henricum temporis duntaxat causa, & Regni obtinendi spe, haeresim deposuisse, statuerat Ducem Nivernensem nequaquam ut regis oratorem accipere. Qua de re certiore ipsum faciendum curavit per Antonium Possesvinum. Manavit fama Possesvinum, tanquam politicis deditum curis, & Regi Galliae, Ducique Nivernensi nimis addictum, Roma pulsum & exilio multatum esse. Quod unde haustum sit non video. Neque enim ullum usquam hujus exilii vestigium in monumentis nostris apparet. Illud unum constat, Possesvinum Patavio venisse Romam, ut mandata Pontificis acciperet; iisque perfunctum rediisse Patavium. In Urbem postea regressus, dedit operam cum ceteris Patribus ut Rex quamprimum Ecclesiae reconciliaretur. P. Jacobus Comoletus, domus Professorum Parisinae antea praepositus, a Cardinali Gondio, rem frustra per se se jam experto sub-

submissus Romam idem negotium clam urgebat, dum illud Offatus procurabat palam. Comoletus sociam adjuvare operam Patres Alexander Georgius, nuper collegii Parisiensis rector, & Joannes Gueretus, qui Romam ex illis fluctibus Parisiis evaserant. Uterque Clementis ad pedes advolutus pro Societate pauca, multa pro Rege dixit. Nec parum laboravit ut leniret offensionem Pontificis ortam è recenti Regis edicto, quod hæretici armatis precibus expresserant. Ac demiror quid venerit in mentem nonnullis suspicari exacerbatum ab iisdem Georgio & Guereto, Clementis animum, atque invidiam Regi ex hoc edicto deditam operam quasitam. Eiusdem generis est quod scribunt, illos, cum eidem Pontifici exponerent Castellum paricidium, commenta quædam odiosa intexuisse: item, fuisse Tusculum relegatos à Præposito Generali, longius postmodum ablegandos. Tusculanam in villam jerant, ut exteri solent, spectandi studio, vel auræ salubrioris captandæ causa; hinc Romam statim rediere, ubi Gueretus substitit in collegio Romano; Georgius Mussipontum ad ceteros, qui confederant illic, Socios est reversus. P. Jacobum Sirmondum Regis pariter causam Romæ non segniter egisse reperio. Navabat ille tunc operam Præposito Generali Societatis, conscribendis ejus latinis epistolis; jamque in aula Romana præstantem illam exquisitæ famam doctrinæ, quam eruditorum omnium consensus & admiratio postea celebravit, colligere coperat. Eam ad regias partes fulciendas pro virili contulit. Neque vero suum in ea re studium ac diligentiam desiderari passus est Claudius Aquaviva, laudemque præcipuam eo nomine meretur, quod suæ Societatis commoda, ut regis causæ faveret, neglexisse videatur. Percrebuerat Romæ sermo, inter conditiones Regis in Ecclesiæ communionem recipiendi, hanc à Pontifice ascriptum iri, ut Societas in Galliam restitueretur. Plerique auctores Claudio erant, ut conditionem hanc omnino apponendam curaret, ac tempore uteretur. Non deerant contra, qui Gallicum exosi nomen, impellerent Aquavivam ad ultionem, hortarenturque ut Regis negotium disturberet, aut saltem retardaret; foveret suspiciones, olim obortas de illius animo in catholicam Fidem parum sincero; quippe qui Ordinem religiosum, Ecclesiæ propugnandæ præsertim additum, regno exigeret. Neutros audit Aquaviva: merum integrumque beneficium Regi munificentissimo debere maluit, prudenter existimans, si (quod minime dubitabat) majorum religionem ex animo Henricus amplecteretur, futurum ut Societatis innocentiam, & nonnulla ejus in Gallos atque ipsummet præmerita, brevi agnosceret. Videbat etiam quantum onus invidiæ subiturus esset, si, Rege conditionem restituendæ Societatis forsitan detrectante, illius à censuris absolutionem & Orbis Christiani vota obex iste moraretur. Itaque satis habuit, si Pontifex restitutionem Societatis Regi commendaret: quod cumulatissime Clemens præstitit, ut Offatus ad Villaregium disertè scribit. Ipse Aquaviva per se suosque agere non destitit, ut res ad optatos exitus perduceretur: ac Rege postea solenni more nodis anathematis exsoluto, Sociis per Galliam gratulatus, etiam atque etiam præcepit, ne quam offensionis ansam ipsi offerrent, & Superos pro ejusdem incolunitate deprecari enixè pergerent.

Sed nullus ad nutantem Pontificis animum Henrico adjuvandum æquè profecit, ac Toletus Cardinalis; quem *unum pro ceteris omnibus fecisse*, ad Villaregium perscripsit Offatus, regiam tunc agens Romæ causam, cum Perronio; cujus etiam in literis exstat eximium de Toleti erga Regem studio testimonium. Certe quantum Toletus deberet Henricus Quartus, ipse palam fecit, cum illi demortuo parentari tam splendide Parisiis jussit. Addo istis testem minimè pariter suspectum, Augustum videlicet Thuanum, qui Henricum gloriari solitum ait, ac *inter fatales sibi felicitates numerare, quod Toletum suæ causæ apud Pontificem defensionem ac assertorem habuisset. Sive (Toletus) sponte fecit, inquit Thuanus*, ut erat moribus candidis, & infracto ad gratiam odiumque ingenio; sive de industria, ut plerisque fuit persuasum, ut gratiam Ordini suo apud Regem conciliaret; magnum ad restitutionem Jesuitici sodalitiî, quæ octavo post anno secuta est, momentum attulisse creditur**. Quod autem eodem Thuanî loco Societatis homines gentem sibi infestam Rex appellasse narratur, hanc Thuanî potius, quàm Henrici Magni, vocem esse

39.
Præpositus Generalis Societatis cum aliis Patribus causam Regis apud Clementem agit.

40.
Quantum ad eam momenti Toletus attulit.

* Lib. 113.

* Lege Spondanum anno 1595. num. XI.

esse crediderim; aut Henrici certe nondum Societatem habentis exploratam: quam ubi propius ac per se agnovit, insigni benevolentia complexus est, eique se non munificum duntaxat regem, sed patronum ac pene patrem præbuit. Quod si regalis benevolentia fructum non statim cepimus, in causa fuit perturbatus adhuc regni status, & multorum nobis adversa voluntates, quæ tractandæ leniter, & placandæ sensim, Henrico videbantur. Ubi publicam rem constitutam, & auctoritatem suam confirmatam sensit; tum demum, quomodo esset erga Societatem affectus, demonstravit; cum eam tanto restituit gloriosius, quanto turpius fuerat expulsa. Erunt, opinor, qui hoc eodem loco rescire cupiant quid potissimum causæ intercesserit, cur Societas non fuerit citius restituta: deinde à quibus præcipuè navata sit ad eam revocandam opera: demum quo pacto res tota felicem ad exitum perducta fuerit. Hæc tria paucis exequar.

§. IV.
SOCIETAS JESU,
IN GALLIAM RE-
STITUITUR.

HENRICUS IV. regiam ingressus urbem, & rerum potitus, in hanc maximè curam incubuit, ut civilis discordia reliquias aboleret. Externos apertosque hostes bello domuerat; occulti restare dicebantur, eoque magis metuendi. In his numerari audiebat Societatis homines, non solum à Calvini affectis, qui tunc in Gallia non pauci; verum etiam à catholicis bene multis, dignitate doctrinaque insignibus. Senatus Parisiensis illos hostibus addictos, regis infensos partibus appellare pergebat, ut exilii legem in eos latam anno MDXCV. tueretur. Hanc opinionem plerique alii Societatis adversarii alere in regis animo curabant, ferendis, pro re nata, sermonibus invidiosis, conscribendis libris, dissipandis rumoribus, calumniis fabricandis. Ex eo genere nihil ab illorum officina prodiit efficacius ad conflandum Societati odium, quàm fabula quædam in Belgio contexta, de percussore ad necandum Comitem Nassavium à nobis immisso; qui comprehensus, & crimen auctoresque, ut narrabatur, confessus, supplicio affectus fuerat. Calumniae insultatam Libro XIV. fusè demonstrabimus. Res in vulgus latè sparsa: confectus liber, cui præfixa imago pugionem, seu lanceam, præferbat, cum his vocibus *Non est huic similis* *. Ostensus Regi mentem ægram vehementer exulceravit. Auxit vulnus liber à Bucherio doctore Sorbonico editus, at ex pers nominis, & Patribus Societatis attributus. Scriptor Joannem Castellum defendere conabatur. Iidem dicebantur vetare ne preces pro Rege à populo fierent, animos ubique ad seditiones & rebellionem concitare. Ejusmodi sermonibus ita Rex inflammatus est, ut litteras ad senatum Burdigalensem dederit, quibus significabat, se omnino velle ut homines Societatis è regno suo penitus excederent, eosque Senatus ex urbibus, quæ jura Burdigalam peterent, exigeret. Erat apud Regem Franciscus Surdisius, Abbas S. Junii, designatus tunc Burdigalensis Antistes, & Romana deinde purpura ornatus. Ille Patres admonuit ne facile fidem haberent rumoribus, aut etiam mandatis, litterisve nomen regium præferentibus, quamvis ab ipsomet scriptæ viderentur. Esse in aula scribam hæreticum, qui manum regiam peritissimè imitaretur. Tum, ne festinarent egredi Burdigala: retineri se paterentur. Id vero civitas universa tanto ardore præstitit, ut populus cum senatu ad conservandam Societatem conspiraverit.

41.
Cur tardius restituta.

* I. Reg. 21.

42.
Alterum Senatus Parisini decretum contra Societatem.

At Senatus Parisiensis alterum contra illam decretum edidit anno MDXCVII. XII. Kal. Septemb. In eo renovabat indictas nobis priori decreto anni MDXCIV. poenas, & iis omnibus, quicumque in Societatem aliquando adscripti fuissent, docendi privatim aut publicè facultatem adimebat. Itaque cum Lugdunenses, post amissam anno MDXCV. Societatem, gymnasii sui curam Antonio Porfano, olim nostro, demandassent, eum dimittere coacti sunt, instante præsertim Simone Mariono, regio in curia Parisiensi advocato, Antonii Arnaldi socero, cujus odium in nos emulatus, satyram scripsit, à P. Ludovico Richeomo, sub nomine Renati à Fonte, confutatam. Eadem curia Parisiensis vetuit ne quis liberos in scholis Societatis, etiam extra fines regni positos, institui sineret. Comiti Turnonio præcepit ut Patres è collegio Turnoniensi quamprimum pelleret. Negavit ille se facturum, quia Turnonium à senatu Tolosano jura peteret, à quo mandatum ejusmodi habebat nullum. Negare cum pergeret, atrox in eum sententia dicitur, bona fisco addicuntur. Sed Rex causam interiori suo consilio cognoscendam refer-

servavit; Comitumque remotis arbitris monuit, ne Societatem ejicere properaret. Illam ipse revocare jam cogitabat. Multa impellebant causa.

Primum quidem ut Summum Pontificem sibi conciliaret, à quo se brevi sperabat absolvendum censuris ob hæresim impositis. Porro non cessabant ejus oratores Romæ, ut è litteris Arnaldi Ossati, quas infra describemus, patet, affirmare nihil æquè profuturum ejus causæ, ac si Societatem, secundum Pontificis Maximi vota, restitueret. Deinde plurimum Regis intererat evellere suspicionem, multorum animis penitus insitam, eum simulata pietate, non ex animi certa sententia, hæresim abjurasse. Ediçtum nuperrimè condecorat, ab urbe Aremoricæ, ubi confectum est *, Nannetense appellatum, quo partes hæreseos erigere velle videbatur: licet se temporum necessitate adductum, non tam quæ vellet concedere; quam quæ negare non posset, permittere testaretur. Quid futurum erat, si Ordinem religiosum, veluti natum tutandæ Catholicæ Fidei, atque hæresi debellandæ, in perpetuum exterminaret? Suadebat etiam ars regnandi, in qua non erat rudis, ut elideret fibras omnes discordiarum, quibus maximæ civitates collidebantur, dum aliæ Societatem ejicere, aliæ retinere pugnabant. Accessit ad civilem prudentiam, æquitatis ratio. Vidit premi Societatis causam invidiâ multorum. Quæcumque illi objiciebantur singillatim excussit. Acta senatus Parisiensis contra Joannem Castellum, & Petrum Barrerium, perlégit. Opinione vulgi discutantis nos Hispaniæ Regi venales animas, calamos, linguas addixisse, plenam obreçtationis & falsitatis deprehendit. Hæc vero ita percubuerat, ut à senatu Parisiensis datum fuerit negotium senatori clarissimo, qui Turnonium publicæ rei causa proficisceretur, inquirendi diligenter an Societatis homines proprio quodam ac peculiari voto adstricti Regibus Hispaniæ tenerentur. Is omnia per se, per amicos, clam, palam, scrutatus rixit, nec se tenere potuit, quin rem totam nobis indicaret. Intellexit etiam Rex nostrorum erga se regnumque suum fidem & caritatem, è multarum urbium ac provinciarum litteris ac testimoniis, quæ ad ipsum quotidie perferebantur. Laudabat senatus Burdigalensis in egregia præceteris epistola, pietatem illorum ac sollicitudinem in cohortando populo non solum ad preces, verum etiam ad sanguinem pro regia causa fundendum. Affirmabat illos abstinuisse a docendo: necdum reclusas esse scholas, contra quàm Regi denunciatum falsò erat. Alios ex eadem Societate, qui Petrocoræ, qui Aginni & vicinis in urbibus degerent, id unum studere, ut & juventutem instituerent litteris bonis ac moribus, & cives in Regis obsequio continerent. Rogabat deinde Regem, ut pro sua clementia, & æquitate, rem tantam secum attentius reputaret; quippe quæ ad ipsius dignitatem, ad regni decus, & ad senatus Burdigalensis famam rationesque pertineret. Per leges non licere quemquam, indicta causa, proscribi. Denique monebat esse maximam catholicorum sacerdotum & concionatorum in provincia penuriam: accidere populo permolestum, quòd pauci qui superessent, eriperentur; dum, qui alienam sectabantur Fidem, abundarent suæ sectæ præconibus. Parum fuit Regi cognoscere Societatem ex urbium præfectorumque suorum litteris ac testimoniis; illam ipse introspexit: ejus mores instituta, leges omnes attentissime consideravit: longeque aliam esse, ac ferebatur, animadvertens, habuit primum in pretio, ac subinde amavit; dicere postmodum solitus, à nemine Societatem accusari posse, nisi cui esset ignota.

Altera, cui suam restitutionem Societas debet, causa fuit Clemens Pontifex Maximus, cui negotium istud quàm curæ & cordi fuerit è Cardinalis Ossati litteris intelligitur. Cernebat laborantem hæresi Galliam; spargi latius in dies ferale incendium; necessariam esse hominum operam, qui ad illud restringendum concurrerent. Præterea in Sedis Apostolicæ dedecus redundare videbatur eorum exilium, qui, quòd ejus haberentur cultores, odium improborum & invidiam sustinebant: apparebat etiam alienum ab æquitate, ut unius alteriusve culpam, si qua foret, totus Ordo religiosus tam graviter lucret. Denique parum cum Henrici pietate congruere arbitrabatur, ut qui se Ecclesiæ Romanæ profitebatur filium, eidem Ecclesiæ addictam Societatem nullo pareretur apud se loco consistere, dum hostes Ecclesiæ in urbibus, templis, & curia, retinebat. His incita-

tus

* L' Edit de Nantes.

43.
Rex calumnias in Societatem jaçlari solitas agnoscit.

44.
Clemens VIII. in causam restituendæ Societatis incumbit.

tus Clemens nihil sibi censuit prætermittendum, ut negotium è sententia conficeret. Ibat anno MDXCVI. in Galliam Alexander Cardinalis Medicus, geminam ut firmaret pacem, alteram Henrici cum Ecclesia, cum qua redierat in gratiam, anathemate per Pontificem solutus XV. Kal. Octobr. anni MDXCV. alteram Galliarum cum Hispania, quæ sancita postmodum feliciter Verbini fuit. Tertiam eidem Cardinali causam, nempe pacem Societatis cum Rege, commendavit enixe Clemens, eumque per litteras urgere non destitit. Sed Medicus obstructas adhuc & fragore belli, & pristinis suspicionibus, Henrici eo tempore nactus aures, totusque ipse in aliorum negotiorum gravissima & difficillima tractatione, non eo quem optabat successu, causam Societatis egit. Legationem hanc Toletus fuisse destinatam, Ossato suadente, & Henrico Magno vehementer approbante, tradit Thuanus*, Ossatusque confirmat. Toletus Cardinalem Medicum mittendum persuasit, à quo rem illustrius, pro Mediceo nominis splendore; certiusque, pro veteri auctoritate & apud Gallos gratia, conficiendam, ac minori etiam invidia, putabat. Curas Pontificis feliciter adjuvit Arnaldus Ossatus, pro suo in Societatem studio, & eximia in Henricum Magnum fide**. Is Paulum Foxium Archiepiscopum Tolosanum, Oratorem Henrici III. Romam olim comitatus, & post ejus obitum adscitus in familiam Cardinalis Atestini, qui tum Gallicas res in aula Romana procurabat, earum deinde, ob summam juris utriusque peritiam, & prudentiam non vulgarem, curam ipse suscepit. Quo in munere, nemo dexterius ad conciliandum Ecclesiæ ac Summo Pontifici Henricum IV. laboravit. Hujus meriti Rex memor, ut sacra purpura per Clementem VIII. ornaretur, fecit. Exstant illius litteræ complures, è quibus perspicui facile potest, quis rerum nostrarum tunc status in Gallia & Romæ foret. Ad Villaregium, Henrico in primis fidum carumque, scribens X. Kal. Novembr. anni MDXCVII. laudat Generalis Præpositi ejusque sodalium moderationem; simulque affirmat, nihil æque nociturum Regis in Romanâ curiâ causæ, ubi de illo censuris propter hæresim irrogatis absolviendo agebatur, quàm si Patres Societatis ex iis Galliarum locis in posterum expellerentur, in quibus adhuc stabant: nihil æquè regis & regni hostibus profuturum. Rescribens Ossato Villaregius negat Regem quidquam rescivisse de posteriore decreto adversus Societatem edito, senatum id sua sponte fecisse, cum sibi compertum esse diceret, variis adhuc in locis homines illius Ordinis aliquos aliter ac par esset, se gerere. *Tecum tamen, inquit, sentio, propter illas maximè causas, quæ in tuis litteris prudenter admodum recensentur, æquius futurum fuisse, ut imponeretur pœna reis singillarim; corpori universo parceretur.*

Interim reversus è Gallia Cardinalis Medicus renunciat Pontifici, exiguam spem revocandæ in Galliam Societatis affulgere: nihil à se non tentatum, ut causam sibi tam diligenter commendatam ad optatos exitus perduceret; vix quidquam promovisse. Eadem Clemens audit ex P. Joanne Bordeſio, quem Patres è Gallia Romam miserant, ut quæ gerebantur ipsi exponeret, ac rebus in summas adductis angustias remedium ab Ecclesiæ supremo pastore, ac parente Societatis quærerent. Conturbatus istis Pontifex, eò demum recurrendum existimavit, instante vehementer Claudio Aquaviva Præposito Generali Societatis, ut Antistes Roma cum litteris ad Regem legaretur, aut in ipsa designaretur Gallia, qui ceteris negotiis solutus & curis, restitutionem Societatis unicè urgeret, neque ab Rege antea discederet, quàm errorem illi de nobis omnem, in quo fortasse ob inimicorum calumnias versabatur, eriperet; vel certe id ab eo impetraret, ut liceret nobis innocentiam nostram, legitimo judicio constituto, defendere. Elegit Pontifex præfulem Regi notum & carum, Horatium Montanum, designatum Archiepiscopum Arelatenſem, eique comitem adjunxit P. Laurentium Magium, virum prudentiæ laude insignem, Vistatoris munere ante aliquot annos in Gallia functum; & Regi pariter bene cognitum. Utrique litteras* ad Henricum aliosque proceres aliquot, accuratissimas tradidit. Novam rei bene gerendæ spem Clementi fecit concessum per idem tempus Henrico à Sede Apostolica non leve beneficium. Is magnopere contendebat ut suum cum Margarita Valesia matrimonium, ante annos sex & viginti contractum, Pontifex nullum irritumque esse declararet. Clemens

* Lib. 113.
Ossat. Ep. 24.

45.
Arnaldus Ossatus in eadem causa feliciter elaborat.

** Vide Jan. Nic. Eryt. Pinac. Tom. I. num. 33.

46.
Horatius Montanus mittitur in Galliam, ad componendam Societatis causam. Additur ei comes P. Laurentius Magius.

* Exstant nonnullæ ex iis litteris infra descriptæ §. XII.

mens omnibus diligenter expensis, & inter viros doctissimos diu multumque agitat, Regem voti compotem fecit, misitque anno MDXCIX. in Galliam præfules Arelatensem & Mutinensem, qui Henrico rem è sententiâ confectam nunciarent: ac vicissim ab eo peterent ut cumulare catholicorum gaudia, & Societatem Iesu in suum regnum restituere maturaret. Nemini veniebat in dubium, quin statim Rex, tanto provocatus beneficio, ratum juberet esse quod Summus Pontifex non tam suâ, quàm Ecclesiæ totius & Galliæ, causâ postulabat. Henricus tamen consultius ac Societati utilius putavit fore, si negotium parumper differret, mollesque restitutioni nostræ vias sensim præstrueret. Ea quibus gradibus perfecta sit, superest exponendum.

Prima regia voluntatis ad Societatem revocandam inclinantis indicia extiterunt, cum collegia quibusdam oppidis petentibus concessit. Ea certatim expeverunt Lemovicenses, Floriopolitani, Tutelenses, & Brivenses. Tolosani verò missi ad Regem legatis, supplicarunt, ut Societatis Patres retineri Tolosæ vellent, atque adeò in Occitania tota, *ob fructum*, inquirunt, *quem ferunt prædicatione verbi Divini, exercitioque & institutione juventutis*. Annuit Rex, ejusque & civium illustrissimorum beneficio, cujus grata semper vigeat in Societate memoria, sex domicilia nobis conservata sunt, Tolosanum collegium, Tolosana probationis domus, collegia Aniciense, Auscitanum, Rutenense, ac Turnonense. Ea Regis benignitas fecerat animos Marefcallo Matignonio, tunc regio Aquitaniam præfecto, ut de Sociis Burdigalam revocandis seriò cogitaret. Ac primo quidem P. Ludovicum Richeomum accivit, eique potestatem fecit recipiendi collegii, nondum tamen litterarium ludum aperiendi. Hunc paulo post sunt consecuti Patres aliquot: sed pauci, ne senatui Parisiensi offensionis & querelarum causa præberetur. Statim in præcipuis templis avide auditi sunt: exemploque ac verbo perfecerunt, ut in ædibus sacris omnibus publicæ preces pro Rege fierent. Excitavit invidiam secundum populi favor: perfertur trepide rumor ad Matignonium, Patres amplius triginta rediisse Burdigalam, miscere omnia & turbare. Pergit ille ad collegium, irato similis (norat enim quid rei esset) subeunt cum eo delatores: inferunt se in collegium ferociter ex improvviso; duos tantum sacerdotes deprehendunt, cum totidem fratribus. Matignonius, objurgatis delatoribus, pergere ac bono animo esse Patres iussit. Hunc in modum integra steterunt Aquitanica provinciæ domicilia: ceteris Societatis in Gallia provinciis nihil novæ cladis illatum. Idem regis in Societatem favor multo apertius enituit, cum aures causæ nostræ patronis accommodavit. Necessarium esse judicaverant Patres Galli defensionem Societatis aliquam describere, quæ legi à populo, quæ Regi proponi posset: præsertim cum modestiam in silendo nostram nonnulli contumaciæ adscriberent. Libelli conscribendi provincia P. Ludovico Richeomo data, qui facundia per id tempus, & linguæ vernaculæ notitia præstabat; tantoque omnium plausu exceptum est opusculum ab eo elaboratum, ut paucis mensibus sexies prælo typographico subjectum fuerit. Placuit Henrico libellus: idque statim animadversum est, cum à senatu Parisiensi lata in Comitum Turnonium antiquavit edicta; cum P. Laurentium Magium, in Galliam, uti diximus, Roma missum, accepit singulari benignitate: cum denique disceptari causam Societatis palam voluit.

Blesas venerat tertio Idus Septembres anni MDXCIX. Ibi, audiente ipso, & delectorum procerum confesso, Pontificius Nuncius primum, deinde antistes Arelatensis, nomine Pontificis Maximi; postremo P. Magius, nomine Claudii Aquavivæ, pro Societate dixerunt. Mandatum Laurentio Magio Præpositus Generalis dederat, ut beneficii nomine restitutio Societatis a Rege Christianissimo peteretur: sin autem id minus impetrari posset, tum eundem obtestaretur, saltem ut objecta nobis crimina diluere liceret. Rex, quæ dicebantur, audivit solita facilitate: quoniam tamen discessurus Parisios cum aula universa propediem erat, videri sibi dixit causâ decisionem in eum differendam esse locum, ne nulla ratio Parisini senatus habita putaretur. Sub hæc certior factus, quàm acriter Claudius Aquaviva suos objurgasset, qui Bliterensibus ac Lemovicensibus fecerant spem

47.
Collegia quædam servantur annuente Rege. Burdigalensium instauratur.

48.
Societatis apologiam à P. Richeomo scriptâ Rex legit ac probat.

49.
Causa Societatis coram Rege disceptatur.

spem collegii, utque illos inde omnino facessere, nec movere quidquam aut moliri absque regio nutu jussisset, rem gratissimam habuit, idque ipse Praeposito Generali per litteras significavit. Postquam ventum est Parisios, jussit ut apud Cancellarium convenirent Kalendis Jannarii anni MDC. omnes curia praesides cum Villaregio, necnon advocati regii Lagullaus, Servinus, & Marionus. Adesse Princeps senatus non potuit impeditus valetudine. Verba fecit Cancellarius. Quam cordi & curae esset Pontifici restitutio Societatis exposuit, qui mittendis legatis, scribendis epistolis, beneficiis in regem conferendis, eam rem unanimè postularet. Cum possent praesules Mutinensis & Arelatenensis ita regii matrimonii causam cum Societatis causa conjungere, ut neutra sine altera conficeretur; tamen datum id fuisse Regi, ut quae causa ipsum spectabat, priori loco & quidem sola tractaretur; posterior, quae ad Pontificem pertinere videbatur, regiae permitteretur benignitati, ut beneficium datum Summo Pontifici eo gratius foret, quo liberius. Si quid Rex in Societate reprehenderet, id emendari posse: praesto esse vadem idoneum, Summum Pontificem, qui pro ipsa sponderet, fidemque suam interponeret: adesse P. Laurentium Magium, Roma idcirco missum, virum notae prudentiae ac probitatis, per quem componi & transigi, quodcumque videretur, facile posset. Eadem Villaregius affirmabat. Servinus declamare contra Societatem, pro more occcepit, multum reclamante regio procuratore, ac palam profitente, se neque in Societatis exilium, neque in P. Guignardi supplicium consensisse. Praeses Seguierus, vir egregia in regnum & religionem fide, ut molestam abrupter contentionem, ac decisionem causa adversariis eriperet, censuit, quoniam decretum à senatu Parisiensi latum fuisset in eo negotio, annuente Rege; necessarium videri ut Rex litteras ad eum daret, quibus ipsum faceret de sua voluntate certiorum. Itum est in ejus sententiam. At soluto confesso idem Seguierus Cancellario & Villaregio vehementer auctor fuit, ut negotium nequaquam senatui permitteretur, sed illud ipsimet transigeret cum Rege. Is pergebat praebere spem optimam; laudabat Societatem, excipiebat Magium perhumaniter, excusabat moras, diu fundamenta jaci dictitans, ut staret firmius quod superexstrueretur. Sustinendum paulisper, dum offensiones nonnullorum lenirentur & odia mitescerent: consilii non esse, vim atque auctoritatem regiam adhibere: id neque temporibus consentaneum, neque ipsi Societati tutum. Eadem per suum Romae oratorem Pontifici renunciari jussit, ejusque mentem exquiri de modo restituendae Societatis, & quibusdam conditionibus, quas edicto restitutionis apponi cupiebat.

Cum nihil interim confici P. Laurentius Magius videret, imo rem longius in dies extrahi, de repetenda Italia cogitavit. Verum Claudius Aquaviva satius esse duxit, ut bonam Regis veniam, parumper aula decedens, collegia Galliae, quae inspicienda ipsi restabant, inviseret; sic honestiorem fore illius in Galliam moram, nec ipsis collegiis mediocriter profuturam. Ut libentius in Galliam Magius resisteret, fecit adventus Mariae Medicæ, quae desponsa Henrico Magno uxore, contendebat Lugdunum, cum Cardinali Aldobrandino, regiarum nuptiarum futuro conciliatore: cui Societatis negotium Clemens impensè commendaverat. Nihil proclivius videbatur, quam ut in publica gratulatione aliquid Cardinalis obtineret; praesertim nobis, ut praese ferebat, addictissimum. Sed ille à Magio Lugduni salutatus, respondit se à Pontifice missum de pace inter Henricum & Sabaudiam Ducem componenda: id si feliciter cederet, tum causam Societatis curae sibi fore: quod si commodare nihil nobis posset, facturum certe ut non incommodaret. Marentem his auditis Magium crexit Mariae Medicæ singularis & avita in Societatem benevolentia; quam auxerat non vulgaris commendatio Mariae Magdalena de Pazzis, Virginis Carmelitanae, jam tum florentis eximia opinione sanctitatis, quam coelitus honoribus postea Clemens IX. Pontifex Maximus decoravit. Eam Regina discedens cum viseret Florentiam, ac tria potissimum ejus apud Deum precibus impetranda postularet; tria vicissim à Regina virgo flagitavit, quae pro sua apud Regem auctoritate & gratia conficeret; quorum primum illud ac praecipuum erat, ut Societatem Jesu revocandam in regnum curaret; sub-

50.
Eadem agitur
in senatorum &
procerum con-
fessu

Anno 1600.

51.
S. Maria Mag-
dalena de Paz-
zis restitutionem
Societatis com-
mendat reginae.

subjunxitque nihil ab ea Numini gratius, vel Galliæ utilius, præstari posse: quod illa se facturam, quantum consequi posset, recepit.

Hæc ad Magium perlata senem optimum bona spe impleverunt, quam Villaregius quoque confirmavit, Regis benevolentiam recentibus nec obscuris declaratam signis ostentans, ejusdemque commendans prudentiam, qui perspectis, ut erat sagacissimus, suorum voluntatibus, rem nondum maturam judicaret. Magi spem cumulavit Henricus ipse, cum ejus consilium de Italia nondum repetenda laudavit, ac nonnulla quasivit de instituto Societatis, ut solebat. Quo in sermone cum injecta mentio fuisset de hæreticis ad veritatis cognitionem adducendis, significavit optare se ut id fieret sedate ac leniter: præterquamquod enim ita comparatus esset, ut lenitatis partes libentius amplecteretur, sibi præterea dicebat rationem hanc profecisse ad errorem multis evellendum, blande hortando ut qui se antea secuti errantem fuissent, revocatum in viam sequerentur. Itaque facturam optimè Societatem, si publicis in sermonibus ac privatis comitatem adhiberet, abstinere à conviciis, imò ab ipso *hæreticorum* nomine, quod in contumeliam vulgo accipiebatur: parcere operosis & molestis concertationibus; id urgeret maxime ac doceret, ubinam vera reperiretur Ecclesia; hoc enim demonstrato cetera prona esse. Ad extremum, Arcessam vos, inquit, Lutetiam: ibi omnia componentur: ac primo quidem eorum qui restiterunt in Gallia incolumitati consulemus; deinde sensum, prout isti se in officio continuerint, statuemus de aliis. Digressus à Rege Magius anno MDCL. Aginnum pervenerat, cum eundem Henricus in aulam revocavit: utque Lutetiam attigisse cognovit, fractum itinere, ac febrî confectum, misit primum ex interiore consilio senatorem, qui suis verbis salutem illi, ac muneris quidpiam, impertiret. Post paulo ipsi renunciavit certum sibi ac fixum tandem esse Societatem in regnum suum reponere; nihilominus, ut rem clam haberet, imperavit, donec responsum à Pontifice Maximo perlatum esset super certis hujus negotii conditionibus, de quibus Clementem duxerat admonendum. Eas Pontifex Præposito Generali examinandas tradiderat.

Dum Roma litteræ perferuntur, Henricus contulit se Divodurum Mediomatricum ineunte anno MDCLIII. ut oborta quædam inter cives & arcis præfectum dissidia conciliaret. Varenneus, unus è proceribus regi carissimus, & nostri cum primis studiosus, regium comitatum parumper prægressus, auctor nobis fuerat ut per eam occasionem ad Regis pedes advoluti, ei denuo pro restituenda Societate supplicaremus. Missus igitur à Visitatore Magio, qui morbo præpeditus Dolæ in Burgundia tenebatur, P. Ignatius Armandus, Provincialis; & per eundem Varenneum ad Regem admissus, egregiam pro Societate orationem habuit. Ea Rex vehementius commoveri visus dolere se dixit, quòd illara nobis damna nondum sarciri potuissent. Efficiam tamen, inquit, ut damni gravitatem beneficii nostri magnitudo compenset. Mox, veluti deposita majestate Provinciale & Patres, qui cum illo aderant, rogare familiariter multa cœpit de Societate, de illius legibus & institutis: quàm multi essent in ea concionatores egregii annon ceteris Cotonus præstaret. Respondit Armandus Cotonum, ubicumque verba faceret, auditores attentos nancisci & benevolos, addiditque, occasionem prudenter captans, nihil Societati, nihil ipsi Corono posse gloriosius accidere, quàm si Rex aures illi præbere dignaretur. Ego vero, inquit, & lubens; valde illum mihi Lediguerius, licet hæreticus, laudavit. Curabis ut Parisios veniat quamprimum: ibi de negotiis vestra Societatis disseremus.

Quarto post die Provinciale ejusque socios in intimum conclave abducens, admonuit, ut animis excubarent; circumspicerent omnia caverentque; intentos enim esse in ipsorum dicta factaque multorum oculos. Mox nonnulla, quæ ad se delata erant, indicavit. Quibus Patres abunde cum respondissent, obrectatorum insidias & malas artes liquidius perspexit, animumque induxit, omni abjecta cunctatione, exequi quod antea destinaverat; ac subeuntem P. Cotonum complectens, cumque illo diu collocutus, ita viri candorem, probitatem ac prudentiam adamavit, ut jam tum illi se se suavioribus ac sanctioribus vin-

52.

Henrici IV. de ratione revocandorum ad Ecclesiam hæreticorum sententia.

53.

P. Ignatius Armandus Regem Metis transeuntem opportunè alloquitur.

54.

Rex P. Petrum Cotonum evocat in aulam, & concionatorem suum esse jubet.

culis devinctum senserit, quam quæ fidelem subditum Principi solent obstringere.

Juvat insignem hunc virum, de quo sæpe nobis iacidet mentio, distinctius cognoscere. Natalis illi annus MDLXIV: patria Neronda, oppidum Segusianorum, sive Forensium, in agro Lugdunensi; pater Guichardus Cotonus, regiam in eodem oppido præfecturam gerens, à Societate nostra & nomine vehementer alienus, haud aliam ob rem, quam quod illi Ordini religioso, ut olim surgenti Ecclesiæ*, ubique contradiceretur. Itaque, cum filium in vicina Societatis collegia mittere, literarum causa, facile posset, eum Parisios ab se se longius ablegavit. Ibi certo illum magistro in disciplinam tradidit, qui tenerum adolescentis pectus odio Societatis penitus imbueret; quod facillimè est consecutus: acciditque ut Cotonus aliquando in collegii nostri aream ingressus, & aliquot è nostris obvios nactus, subito refugerit, seque tanquam gravi, propter illorum conspectum occursumque, scelere obligatum confestim apud sacerdotem accusaverit. Ceterum nihil erat illo in omni vitæ parte emendatius: candida & liberalis indoles, quam oris nativus lepos indicabat: eadem ad pietatè propensa; eo usque pudoris amans, ut licentior vovula ingenio rubore frontem pingeret: acres ingenium; eruditio, pro ætate, non vulgaris; promptus & vividus animus, at sui potens, & nulla cupiditate mala implicatus. Talis ad summa quæque adolefcebat Cotonus, cum in patriam illum morbus Lutetiæ revocavit. Confirmata valetudine missus à parente est Avaricum Biturigum, operam ibi daturus juri civili, doctore Jacobo Cujacio, Jurisperitorum ea tempestate clarissimo. Primum illud adolescenti prudentissimo curæ fuit, amicum ut eligeret à suis moribus minime abhorrentem, solatium & munimen adversus licentiam juventutis. Plane ipsi ceteris in rebus simillimum fortunata fors obtulit, hac una dissimilem, quod Societati nostræ tantum favebat, quantum eandem Cotonus averfabatur. Neque illi hoc amicus identidem non objectabat, sed urbanè tamen & comiter; admonens & rogans videret etiam atque etiam; ne graviore scelere se obstringeret, qui aleret conceptum in homines parum sibi cognitos odium. Perculit ea Cotonum ratio, præsertim jam progressum ad eam ætatem, ut præceptas opiniones deponere per se posset. Sed multo magis commotus est, cum invitatus ab amico, dudum adscripto inter sodales B. Virginis, ut sodalitiū facellum dedicatum Deiparæ, neque inornatum, videret; sensit se incredibili quadam pietatis suavitate perfundi, ac paulatim obliterari pristinam imaginem, ac speciem deteriorem Societatis, quam ejus animo institutio puerilis imprefferat.

* An. 23.

55.
Quædam de P.
Petro Cotonus.

56.
Quomodo vocatus à Deo ad Societatem.

* Die 30. Sept.
1583. ætatis anno
20.

* Catharina
Medicæ.

Restabat ut quispiam auctoritate & eruditione præstans evelleret nonnullas de nobis suspensiones, quibus eum parens imbuerat. Hoc vero cumulatissimè perfecit, qui conciones per Quadragesimam Avarici tunc habebat in templo principe P. Petrus Vela: cujus sermone probus adolescens, præterquamquod præjudicatas opiniones exiit, succensus etiam est desiderio rerum cœlestium, ac vitæ perfectioris. Ad eam vocari se divinitus cum intellexisset, Societatem nostram amplecti non dubitavit, eamque demum ingressus est* Taurini, quò ad pleniùs cognoscendum jus civile, parentis jussu concesserat. Aronam inde, prope Mediolanum, tirocinii ponendi causa profectus, diurnum cum parente certamen sustinuit, filium repetente, ac Reginæ ipsius auctoritatem*, cujus in aula insignem obtinebat locum, interponente. Illo demum victo, Cotonus Mediolanum petivit, philosophiæ ut studeret, quam Lutetiæ tantum degustaverat. Vercellis litteras politiores anno docuit: theologiam auspiciatus erat Romæ, cum P. Laurentius Magius è Gallia rediit in Urbem. Is vetere amicitia cum Cotonis parente conjunctissimus, petenti, tandemque placato, videndum filium, uti promiserat, concessit. Venit Lugdunum Cotonus, ubi ejus pater gravi morbo conficiatus extremum spiritum, in amantissimi filii complexu lætus edidit. Substitit ipse Lugduni ad studium theologicum absolvendum, tantamque ad arcana subtilioris doctrinæ introspectanda facultatem præ se tulit, ut inter primos diviniæ scientiæ doctores fuisset brevi numerandus, nisi pariter emicuisset in eo admirabilis ad dicendum indoles, ex qua major ad religionis decus & præsidium, ut erant ea tempora, utilitas sperabatur.

Itaque

Itaque sacerdotio initiatus anno MDXCII. quotidianas conciones in Lugdunenſi æde S. Pauli habuit, approbatione omnium ſecundiſſima, per Adventum, itemque per Quadrageſimam. Hoc ipſum Avenione triennio * deinceps toto præſtitit; quo tempore ad graviſſimum divini verbi prædicandi laborem acceſſit alius; poſtulate Archiepiſcopo, non levis, explicandi morum officia, & conſcientiæ quaſtionem. Tanta ad eum concuſſus fiebat, ut ſcholæ anguſtiis multitudinem audientium non capientibus, utendum templo pro ſchola fuerit. Eâ digreſſum excipiebant alii cives ex aliis, modo reſponſa privatim de ſuis rebus peturi, modo ſciſcitantes de religione controverſiſque Fidei capitibus. Nam eorum calebant in Gallia diſputationes; & aditus ad Cotonum faciles præbebat omnibus ejuſdem urbanitas, tanto illuſtrior quanto majore ingenii & eruditionis florebat famâ. Sic Rebellum, Calviniani agminis anteſignanum, reduxit ad catholicorum caſtra; in quibus deinde multa & præclara ſtipendia pro veritate fecit: Sic plurimorum pertinaciam, antea indomitam, ratione ac lenitate fregit. Ejuſ nomen cum in dies latius increbrefceret, accitus fuerat Gratianopolim, anno MDXCVIII. exeunte, ut exultantem Calvinii miniſtrorum audaciam compeſceret. Vix ingreſſum adoriuntur diu noctuque catervatim; magis negotii faſcendi cauſa, quam ſtudio cognoscendæ veritatis. Satisfaciebat omnibus tamen incredibili comitate; nec ipſos voce tantum, ſed ſcriptis libellis erudiebat, inſeſtabatur; cruciabat. Ergo via brevior moleſtum hoſpitem excutiendum rati, ſubmittunt ſicarium, qui remotis arbitris, per cauſam petendi conſilii, ad Cotonum intromiſſus, involat in fauces ex improviſo, eaſque eliſſet, niſi ad clamorem accurrentes vicini, nefariam vim prohibuiſſent, ac percuſſori manus injeſſent. Impium caput merito maſtandum ſupplicio judicibus permittere promptum erat: ſatis habuit imitator Chriſti præclarus admonere hominem ſceleris, innoxiumque dimitti juſſit. Idem rediit aliquantò poſt, ſed alio conſilio. Nam ad Cotonum pedes procidens, manantibus lacrymis, crimen cum hæreſi deteſtatum, ſalutem ſempiternam ab eo quaſiſit, de cujus nece conjuraverat.

Sed nihil æque cæci gregis ductores cæcos malè habuit, atque familiaris conſuetudo & amicitia, ſanctiſſimè colligata per idem tempus Cotonum inter & Franciſcum de Bona; Ducem Lediguerium, præpotentem tunc dynaſten, regium in Delphinatu præſectum, ac poſtea regii ſtabuli Comitem. Ille, quamquam hæreſim proſtiteretur, catholica nihilominus doctrinæ præconem tam conſtanti fama celebratum audire pridem geſtiebat. Ne vero ſuis doctoribus moveret ſtomachum, ſi palam noſtro ſacerdoti concionanti daret operam, occultum iter, à ſuis ædibus in ædem ſacram pervium, duxit. Ibi concionem inviſus & inobſervatus auſcultabat. Neque ſe tenere diu potuit, quin concionatorem, ſpretis ſectæ rumoribus, arceſſeret, ejuſque humanitate ac ſapientia captus, totum ſe illi dederet, ac porro Societati: ad quam reſtituendam unus omnium vel maxime al-laboravit, Henricum IV. apud quem præcipuas gratiæ partes obtinebat, dedocendo, eique P. Cotonum commendando. Neque minorem viciffim ex amicitia ſermonibuſque viri apoſtolici fruſtum ipſe tulit; agnita tandem veritate, ad quam tunc intelligendam nondum ſatis purgatas ab ambitione & malis cupiditatibus aures afferebat. Cotonum igitur & proborum favore, & odio ac pavore improborum tota jam notum Gallia, Rex audire vehementer cupiebat; verebatur nihilominus ne, ut plerumque fit, aula in eo probando a provinciis diſſidèret. Sed affectus fuit ingenti gaudio, cum concionatorem ſuum non modo reſpondere vidit aulicorum expectationi, verum etiam fama ipſa majorem eſſe. Uſus opportunè benevolentia Regis Cotonus, tam ſapienter & accuratè negotium revocandæ Societatis egit, ut Rex agrè moras ferret. Eas denique ſuſtulerunt Clementis ad eum litteræ, perlata Lutetiam anno MDCIII. ineunte Sextili, quibus Pontifex & agebat gratias de rebus pro Societate geſtis, & obſecrans ut operi tanto manum ultimam adderet, poteſtatem faciebat Apoſtolico Nuncio & Patribus, quos apud ſe Rex haberet, tranſigendi ejuſ arbitrato negotii. Henricus ad luſtrandam Normanniam Rotomagum profeſtus, edictum de reſtituenda Societate

* An. 1595. 96.
97.

57.
Ejuſ primè cum hæreſicis diminationes.

58.
Ducem Lediguerium ſibi & religioni conciliat.

cietate ibi promulgari iussit. His conceptum verbis erat, ut ex Gallico ad verbum expressimus,

59.
Edictum regium
de revocanda
Societate.

A. C. 1603.
Soc. 64.

HENRICUS Dei gratia Francia & Navarra Rex, presentibus ac posteris salutem. Notum facimus nos, precibus Summi Pontificis de restituenda in hoc nostrum regnum Societate IESU, obtemperare cupientes, aliisque gravibus & idoneis causis impulsos, concessisse & concedere per has litteras, nostra manu obsignatas, peculiari nostro beneficio, pro regia potestate & auctoritate, omnibus ejusdem Societatis IESU hominibus facultatem manendi residendique in iis locis ac domibus, quas in hoc nostro regno nunc obtinent, nimirum in urbibus Tolosana, Auscitana, Aginnensis, Ruthenensis, Burdigalensis, Petrochorensis, Lemovicensis, Turnonensis, Aniciensis, Albenacensis, & Biterrens. Præterea, in gratiam ejusdem Summi Pontificis, pro singulari nostro in eum studio, iisdem concessimus ut repetant incolantque nostras urbes Lugdunum ac Divionem: & præsertim habendam ipsis tradimus domum nostram Flexiensem, in agro Andegavensi, ut iis in locis collegia sua & domicilia instituant, iis tamen, quæ sequuntur, conditionibus adhibitis.

I. Ut ne ipsis liceat collegium ullum aut domicilium collocare in urbe qualibet nostri regni, aut ullo ditionis nostræ loco, absque nostra peculiari facultate: utque, si secus faxint, irritum ac nullum sit, quodcumque beneficii per istas litteras ipsis concedimus. II. Ut quicumque ex eadem Societate IESU, nostro in regno versabuntur, necnon eorum rectores ac præfides, indigena sint Galli, neque ullis alienigenis in eorum collegiis ac domibus locus esse, nisi annuentibus nobis, possit. Quod si exteri nunc ibi morentur, se post tertium ab his litteris promulgatis mensem in patriam recipiant. In eo tamen alienigenarum numero minime comprehendi declaramus oriundos ex urbe vel Comitatu Avenionensi. III. Ut ex eadem Societate unus aliquis adsit in aula nostra, è Gallia oriundus, idemque spectatæ inter suos auctoritatis & fidei, quo utamur concionatore, & pro suis sodalibus, si res ferat, sponse ac vade. IV. Ut omnes in Societatem cooptati, qui jam in regno nostro degunt, aut in eam deinceps ibidem cooptabuntur, jurent apud regios locorum ubi versabuntur præfectos, in hæc verba: Se nihil facturos aggressurosve, quod obsequio nostro, paci publicæ ac tranquillitati regni obesse possit, nulla re penitus excepta. Quod quidem jusjurandum ritè dictum, ac legitima auctoritate perscriptum, iidem nostri magistratus deferendum curabunt ad regni cancellarium: ac si quis eorum qui modo Galliam incolunt, vel in eam postea devenient, dicere sacramentum ejusmodi recusaverit, huic in regno nostro consistere nefas esto. V. Nulli ex eadem Societate, seu vota simplicia tantum, sive alia ediderit, fas sit res ullas non moventes acquirere in regno nostro, emptione, donatione, aut alio quocumque modo, absque nostro permisso. Item nemini ejusdem Societatis adire liceat ullam hereditatem, sive in directo sive in transverso gradu, quemadmodum ceteris religiosis viris vetitum est. Quod si postea nihilominus dimittantur ab eadem Societate, illis fas erit in suorum bonorum possessionem reponi. VI. Nefas sit Societati ulla bona non moventia accipere ab iis quos sibi postmodum aggregabit: sed ea pervenient ad ipsorum heredes, aut eos quibus impertienda tirones judicaverint ante suam in Societatem ingressum. VII. Iidem Societatis IESU religiosi legibus regni nostri in omnibus & ubique tenebuntur; & jurisdictioni magistratuum eatenus erunt obnoxii, quatenus eidem ceteri ecclesiastici & religiosi sunt subiecti. VIII. Non licebit iisdem quidpiam rei sacræ vel profanæ efficere aut moliri, quod adversetur juri præsulum, capitulorum, parochorum, universitatum, aliorumque Ordinum religiosorum nostri regni; verum jure communi stabunt. IX. Nec ipsis fas erit concionari, administrare sacramenta, etiam confessionis, aliis præterquam suis, nisi annuentibus Episcopis, quorum in diocesi sunt tres supremi senatus, Tolosanus, Burdigalensis, & Divionensis, à quo triplici senatu jura petunt urbes, in quas hujus edicti beneficio restituntur. Neque tamen hæc Societati facultas ab Episcopis dabitur ibi, ubi jus dicit senatus Parisiensis, præterquam in urbibus Lugduno & Flexia, in quibus residere, ac sua obire munia poterunt, ut in aliis locis, in quæ sunt restituti. X. Ut vero in collegiis ad quæ revocantur, & minoribus domiciliis, quas residentias vocant, ipsis suppetat unde alantur, permisimus ac permittimus, ut annuis redditibus ad fundandas domos attributis

tributis frui possint: ac si qui forte essent in eorum bonorum possessionem vel custodiam ingressi, redhibere ipsis omnia de integro ac reponere compellantur.

Itaque mandamus dilectis ac fidelibus consiliariis nostris, & magistratibus nostri senatus Parisiensi, ut edictum hoc in tabulas publicas referant; ratum haberi, legi, & promulgari jubeant: dentque operam, ut sublatis omnibus impedimentis, beneficio nostro plenè ac pacatè Societas IESU perfruatur. Sic enim nobis placitum. Ut porro sua istis litteris auctoritas & vis in perpetuum constet, his apponi sigillum nostrum jussimus, salvo in aliis jure nostro, & alieno in omnibus. Datum Rotomagi; mense Septembri, anno salutis MDCIII. regni nostri quintodecimo.

HENRICUS.

Has conditiones additas edicto Rex voluit, sive nonnihil indulgens pristinis suspitionibus; sive ut quibusdam satisfaceret, quorum odia in Ordinem nostrum incensa leniri posse hac severitate confidebat; donec ea vel restingeret auctoritate, vel arte sopiret. Interim plerisque ista restituendæ Societatis ratio non parum displicebat. Contendebant ejusmodi conditiones cum æquitate ac Societatis fama pugnare; plerasque etiam publicæ utilitati adversari. Quare censebant rogandum Regem, ut pro sua prudentia consideraret, nullam à nobis exstitisse causam, cur suo beneficio non integro & omnibus numeris absoluto frueremur. Quod si fixum illi ac deliberatum foret istas conditiones retinere, saltem iis adhiberet aliquem modum; maxime vero, quæ contra nos in senatu Parisiensi acta fuerant, rescinderet; aut alia ratione aliqua Societatis innocentiam declarandam curaret. Pugnabat in primis Claudius Aquaviva, ut jurisjurandi præstandi lege Societas Gallicana solveretur: necnon caput illud declarari cupiebat, quo præcipiebatur ut staremus jure communi, similiter atque aliæ religiosorum familiæ: item explicari, quo pacto facultas audiendarum confessionum, & habendarum concionum ab Episcopis postulanda esset. Alii accipiendas quoquo modo conditiones arbitrabantur, freti Regis humanitate, quæ spem perficiendi & cumulandi beneficii certissimam faciebat. Obiciebant etiam metum gravioris mali, si Regi mos non gereretur. Huc accedebat, quòd easdem conditiones Pontifex non omnino improbasset, cum illi Regis nomine oblata fuissent, & ejus censura arbitrioque permissa*. Aiebant Regem, quod statuisse durius videbatur, fecisse temporis causa; mitigatis paulatim offensionibus res nostras in pristinum statum ab eo planè reponendas: auditum illum sæpe cum diceret plura se in Societatis gratiam anno uno, quàm superiores Gallia Reges annis triginta, perfecturum. Non posse à nobis detrectari, nec vero debere juramentum fidelitatis, quod regii tot præfecti, tot magistratus, & publicorum munerum administri, passim quotidie præstare consuevissent: non alia re certius ac validius delendas hominum suspiciones, qui nos alii Summis Pontificibus, alii Regibus Hispaniæ, ineluctabili voto sic addictos putarent, ut in Principum aliorum verba jurare non auderemus: periculum esse ne ingravescerent illæ suspiciones, si dicere sacramentum hoc abnuemus; neve tota Societas, tanquam perduelliam agmen, è Gallia radicitus excinderetur. Quod spectat ad bona immobilia, nequaquam à Rege possessionem illorum interdici, sed, se incio: nec arceri omnes alienigenas, sed probatos & cognitos admitti, ex iisque duodecim, quos P. Cottonus designaret, in regno jam retineri. Porro ad Societatis prudentiam pertinere, atque adeo paupertati quam proficitur magis esse consentaneum, ut ne acciperet collegia, nisi essent tam probe à vestigalibus instructa, ut carere possent adventitiis ejusmodi bonis, præsertim iis quæ à novitiis importantur. Quod attinet ad audiendas confessiones, & alia Societatis nostræ munia, declaravit Henricus, post acceptas Cardinalium Aldobrandini & Ossati, ac Præpositi Societatis, litteras, mentem suam esse, ut omnia secundum concilii Tridentini leges administrarentur: ut eodem quo ceteri Ordines religiosi jure essemus; in iis videlicet, quæ pertinent ad civilem disciplinam; ita ut nihil detrimenti privilegiis nostris afferretur. Hoc ipse palam est professus; ac Romam perscribendum curavit: addiditque jurisjurandi lege solvi posse illos è nostris, qui deinceps in Galliam succederent. Eadem humanitate rescripsit ad P. Claudium Aquavivam, Societatis Præpositum: nec Patres qui se-

cum

60.

De conditionibus Edicto appositis.

* Ossatus Episcopus.
341. Lib. IV. dat.
14. Jul. 1603.

cum erant, cessabat leniter admonere ut quiescerent; ut sibi omnia permetterent; agerent modo quod vellet, se postea quod ipsi vellent, acturum.

61.
Henrici IV. studium erga Societatem. Aulici vox de illa.

Sanè regalis benevolentia illustriora nobis in dies dabat signa. P. Cottonum & alios arcessebat frequens, cum iis familiariter colloquebatur, multa de religione sciscitans, multa de Societate, cujus leges & mores explicari sibi singulatim volebat. Acciditque aliquando, cum apud Carthusianos, in eorum cœnobio, quod Burgifontem vocant, pranderet, ut à cœnobii moderatore percontaretur quid discriminis inter Carthusianorum & Societatis institutum intercederet. Respondere paulisper cunctantem cœnobiarcham nobilis, qui adstabat, adolescens cum bona Regis venia, occupavit, & Hoc inter utrosque discrimen est, inquit, quòd Carthusienses carne spiritum; Patres Societatis, spiritu carnem domant: quæ responsio Regi ac toti aulicorum coronæ plurimum arrisit: ac multa in laudem amborum Ordinum, probante Rege, dicta. Nemo enim de fama Societatis palam detrahere jam audebat, quin Rex patroni partes continuo susciperet, ac malignitatem obtrektoribus in os exprobraret. Cumque per eos dies editus liber fuisset, jactari solitis in nos conviciis refertus, vocato cancellario perquiri auctorem, & ne quid ejusmodi unquam vulgaretur edici iussit.

62.
Rex editum suum comprobati a senatu Parisino jubet.

Regis erga Societatem voluntate cognita, civitates amplius viginti, quasi liberarum habenas nactæ, collegia flagitarunt: ipsi Parisienses, pro suo recuperando præfectum urbis ad Regem allegarunt. Eorum vota differre visum est usque dum senatus Parisiensis regium edictum de Societate restituenda, consueto ritu in tabulas publicas referret. Moris enim est apud Gallos, ut edicta regia vulgo habeantur à senatu Parisiensi rata, nec antea vim suam censeantur obtinere. Ac licet Rex per sese, aut de consilii sanctioris sententia, decernere quod libere possit, ne tamen Henricus hanc iniret viam, magnis curiæ Parisinæ, ac præsertim senatus Principis erga se promeritis impediebatur. Hunc igitur V. Kal. Nov. cum aliis aliquot accitum, de nostri postliminii decreto comprobando admonuit, utque de hoc negotio primum ageretur, cum ad solita fori munia, transacto iustitio, senatores redirent, præcepit. Patres Societatis JESU revocare, inquit, decrevi; vestre sunt partes voluntati meæ suffragari: fecit vestrum erga me studium eos ut regno pelleretis: idem studium faciat, eos ut mecum restituatis. Expendi omnia diligenter: multa quotidie de illis falso in vulgus jactari cognovi: leges, disciplinam, & constitutiones piæ istius atque eruditæ Societatis perspexi. Magnas attulit Hispanis, Germanis, Italis, Orbi toti, utilitates: afferet Gallis non minores: ne quid ab illa oriatur mali, providebo. Ad hæc senatus Princeps: Equidem, Rex, inquit, non possumus, quidquid statuas, non æqui boni consulerè: nihilominus obtestamur ut considerare ne pigeat... Parantem plura dicere interpellavit Henricus, & Video, subiecit, quid vos moretur: incolumitatis mea cura, deinde vestra in Parisinam Universitatem benevolentia. Quod nostri generatis curam, gratum est: at ille, qui pœnam nuper luit, parricida neque fuit è Societate, neque Societatis doctrinam aut mores accusavit. Universitatis splendorem non obscurabunt Patres, at illustrabunt. Consultius judicavi habere illos obsequentes & amicos, quàm infensos. Multa in hanc sententiam, pro nativæ eloquentia & majestatem graviter; pro Societatis fama perhonorificè, disseruit: nihil contra hiscere tunc auso senatus Principe. Tamen adduci non poterat, ut edictum Rotomagensis sanciret; donec regis quæ minis, quæ pollicitationibus victus, oravit saltem ut sibi, quæ in Regis ipsius rem ac publicam esse viderentur, liceret coram liberè proponere.

63.
Senatus Principis oratio contra Societatem, coram Rege.

Igitur pridie Natalis Domini magno & ambitioso præsidum, senatorum, advocatorum comitatu procedit in regiam. Verba facit per semihoram, oratione meditata, & omnibus fucata pigmentis, cui vim ac pondus addebat oris dignitas, vocis contentio, innatus dicendi lepos, quo valebat plurimum. Exposuit artificio singulari quæcumque in Societatem invidiosè dicta & ficta vel meminisset ipse, vel eidem amici accuratè conquesta suggererant; privata demum Regis commoda publicis appositè remiscens, nihil omisit quo ejus animus odio incendi, & à revocanda Societate deduci posset; adeo ut qui aderant è proceribus, nobis de-

diti, expallescerent, ac Regem, quamvis acutè, & subito respondendi laudem sibi, nec temere, vindicaret, posse contra senilis & exercitata facundia robur consistere diffiderent. Tum ille, omnibus ad audiendum arrectis, breviter se colligens, cœpit Principis senatus orationem à principio resumere; ac singillatim, quod cuique capiti respondendum erat, tam accommodate, tam eloquenter subtextit, ut eum non modo pugnandi vincendique, sed etiam optimè dicendi artem callere, cœtus omnis principum & antistitum, plausu latitiaque gestiens, fateretur. Auditus est per diu summa omnium attentione; neque solum ejus sententias, sed ipsa etiam verba plurimi exceperunt, & in patrium quisque sermonem exteri non pauci converterunt.

Latari se dicebat cura, quam pro se & regno suo gereret senatus: perspecta sibi esse omnia, quæ tam operosè allata modo fuerant, & à multis annis expensa, suisque momentis librata; sed aliam esse fori, aliam regni administrandi, quam ipsi nescirent, rationem. Ambitionem objectatis, inquit, hominibus Societatis; quos adeo non aucupari dignitates constat, ut sibi earum aditum peculiari voto præcludant. Nam si suspicionem arrogantia nomen JESU, ipsis ab Ecclesia concessum, præbet, quid aliis quibusdam religiosis Ordinibus fiet, qui nomen Sanctissimæ Trinitatis usurparunt? Damnos & rejectos à Sorbona dicitis: at, quos Sorbona vetus, æmulatione quadam, aut ignoratione illorum instituti, rejectit; non rejectit nova, imò illorum eruditioni meritam laudem tribuit: eorum vero docendi agendique rationem tandiu, credo, Universitas Parisina non probabit, quandiu scholas illorum florere ac frequentari cernet. Porro nullius æque interest eos revocari, atque Lutetiæ; secum enim revehent numerosam pubem, quæ ipsos, licet vetantibus edictis vestris, ultra Galliæ fines sectari non cessat. Toleratos duntaxat hætenus in Gallia fuisse narratis: faxo jam ut auctoritate publica, edictis meis, vestrisque decretis, jure civitatis, regni, & Universitatis donentur: idque mihi ac temporibus meis singulari Superum beneficio reservatum lator.

At enim feditiosum genus hominum est, ac Regibus suis infestum: fœderatorum enim partes contra meam rem amplexi sunt. Fuit hæc injuria temporum & calamitas: errore lapsi sunt, ut multi; & levius quàm multi: conscientia & religione ducebantur. Sed confido fore, idque meis beneficiis perficiam, ut ipsos mihi deinceps, partibusque meis habeam addictissimos. Neque vero ullius voti vinculis, ut jactant qui eorum ignorant leges, adstringuntur Hispano Regi; nec summi Pontificis in verba sic jurant, ut debitam suis Principibus ejurent fidem. Plurimum illis utuntur Hispani: sit ita sanè; plurimum illis nos quoque utamur. Habet Hispania quod eos alliciat; cur Gallia non habebit? Refricatis tetra Barrerii & Castelli facinora. Placet vestra mihi pietas ac sollicitudo: Barrerium tamen nullus sacerdos Societatis confitentem de peccatis audierat: unus ex eadem Societate nos de hominis scelerato consilio admonuit; alter illum sempiterni supplicii denunciatione conatus est à parricidio detertere. A Castello nihil fuisse illis objectum ipsimet luculenti testes estis: si quid enim compertum fuisset ejusmodi, nequaquam illud in decreto vestro tacuissetis, neque per vos inultum abiisset. Quod si tamen iste, quem afficiendum supplicio putavistis, aliquid in meum cogitavit caput; an æquum est omnes unius culpâ reos esse? an eorum, qui mea quandoque sunt secuti signa, furtis, latrociniiis, flagitiis, teneor obstrictus? Ego vero & illi, & ceteris qui quid in me peccarunt, ignosco libens; atque ita mihi Deum esse propitium precor, ut omnibus placatus ex animo sum. Nolite hæc vulnera, quæ jam coierunt, ingrata recordatione acerbare; publicasque pariter ac privatas injurias mecum oblivione voluntaria conterite: aut, si quorundam ex hac Societate reprehendere maleficia libet, aliorum beneficia, non Gallorum duntaxat, sed etiam Hispanorum, ne omitte; quos meæ cum Ecclesia reconciliationis causam omni studio promovisse non ignoratis.

Sed vos sollicitat futuri metus: tranquillitas regni, pax academiæ movet. Doctrinam exitialem instillant juvenum auribus; eosdem ad se quacumque possunt via, & quidem lectissimos, pelliciunt: augentur opibus, funduntur in dies

latius,

64.

Hanc refellit ipse Rex, & Societatem de objectis criminibus purgat.

latius, neque possunt explere avidam habendi plura sitim: De doctrina quasi diligenter: falsò illis talem affingi, qualem prædicatis, vel hoc uno argumento patet, quòd ab annis triginta, ex quo in Gallia docent, nemo unus è tanto adolescentum numero sit repertus, qui se hanc ab illis affirmet audivisse. Quidquòd in illorum Societatem admissi nonnulli, atque omnium quæ in ea geruntur probe conficii; deinde ab eadem dimissi, & ad hæreticorum interdum transgressi castra; nunquam tamen hoc doctrinæ pestilentis crimen ipsis imposuere. An credibile est eos, si quid ejusmodi cognoscerent, dissimulatos, cum sint alioqui tam diligentes in colligendis undecumque probris, quibus dum Societatem onerant, suæ defectionis infamiam levare contendunt? Atenim lectissimos adolescentes, excellenti præditos indole atque ingenio, ad suum aggregant cœtum. Et ego, cum militem scribo, lectissimum ac fortissimum quemque lego: neque vos vestrum in ordinem cooptaretis non lectissimos, nisi majorem aliquando gratiæ, quàm virtutis veræ, rationem haberetis. Serpunt iidem ac sparguntur quotidie latius, penetrant in urbes, nec periculis aut difficultate ulla impediuntur quominus destinata perficiant. Laudo industriam: ad solum, sui periculis ac difficultatibus obstructum, non alia ipsimet via pervenimus. Qui opes illorum immensas carpunt, hallucinantur graviter: vix habebant quando solum vertere coacti sunt, annui census, tot in domiciliis, nummorum millia duodecim: ac ne quid in eam partem peccent, edicto meo cavi. Dicuntur interponere se in aliena negotia, etiam publica; cohibeantur: prodere arcana Regum consilia; ne cum ipsis communicentur. De illis resciam quantum mihi libebit: illi ex me nihil, nisi quantum mihi videbitur, audient. Ad extremum id observavi, cum primum agere de restituendis illis aggressus sum, duo præ ceteris hominum genera vehementius repugnasse: unum hæreticorum; alterum ecclesiasticorum solutiois vitæ: inde mihi fuit commendatior illorum doctrina & vita. Revocatos volui: cautio nostra erit ne quid ab iis publica res detrimenti capiat: haud paulo difficiliora gessimus.

65.
Senatus Parisiensis Regium edictum denique ratum habet.

66.
P. Petrus Cotonus Arelatensem Archiepiscopatum sepius à Rege oblatum recusat.

67.
Collegium Flexiense ab Henrico IV. fundatur. Divionense restituitur.

Percussus hac oratione Regis & constantiâ senatus Princeps cunctabatur nihilominus, ac diem ex die ducebat: donec intentatis gravioribus à Rege minis fractus, imperata demum fecit: & IV. Non. Jan. insequentis anni MDCIV. cui propterea Societatem restitutam nonnulli adscribunt, factum est senatusconsultum, quo edictum Rotomagense ritè comprobatum fuit. Mortuo per eos dies Arelatensi Archiepiscopo, cum Henricus P. Cotonum illi subrogare omnino constituisset, Cotonus oblatas enixè non semel infulas modestè respuens, voti religionem quatenus ad honores ecclesiæ recusandos, constanter objecit Regi, Societatis leges vehementer probanti, simulque prædicanti Patrum modestiam ac lenitatem, qui tam gravibus appetiti calumniis, de nemine secum expostularent, nec ullam ultionis cupiditatem præ se ferrent. His rebus magis accensus est, ut beneficium inchoatum perficeret. Itaque de collegiis in varias regni urbes inducendis, & ordinandis cogitare serio cœpit, præsertim de Flexiensi.

Est Flexia oppidum elegans in agri Andegavenfis fertili tractu, eximia cœli solique salubritate, & amœnitate. Hic avita Henrici IV. domus visitur; ædificiis, sylvula, horto, cultissima & amplissima. Hanc Societati habendam anno MDCIII. dederat, eoque sunt profecti quatuor è nostris ad possessionem ineundam. In eodem collegio splendidissimum est molitus templum, ubi cor suum ac Reginæ uxoris, obita morte, conderetur, & statâ sacrificia pro utroque peragerentur: bibliothecam instruxit locuplerem; certum ex aulica nobilitate numerum adolescentum assignavit alendum in collegio. Addere denique statuit probationis domum, nostris tironibus educandis, ut ex hoc uno Seminario doctorum virorum & religiosorum læta soboles in omnem deinde Galliam spargeretur. Ut autem hæc regalis academia coalesceret faciliùs ac frequentaretur, collegii Parisiensis restitutionem parumper differebat. Collegium Divionense, ante annos octo dissolutum, nobis ex edicto regio redditum est eo serè tempore, quo Flexiense surgebat. Quandiu hac illustrissima urbe caruimus, singulis propè annis missi fuere, communi totius Burgundiæ consensu, legati ad Regem, qui Societatem repeterent. Edictum vero de illa revocata senatus Divionensis tanta benevolentia

tia in Ordinem nostrum significatione confirmavit, ut ab ejus promulgatione solemnem sit auspiciatus diem, quo, post exactas forenses ferias, ad dicendum jus pro more se referebat. Illud etiam observatum fuit, absentia nostra mitigatos, qui alieniore à nobis erant animo; & palam esse professos, pristini temporis acerbiter se omni officiorum genere deleturos. Neque intra voces benignitas illa stetit: æs alienum, quo diuturno & gravi premebamur, publica pecunia persolutum, aucta collegii vectigalia, ornata scholæ. Pæne dixerim profuisse collegio cadere, ut sic resurgeret.

Per idem tempus P. Cotonus à Rege jussus urbes recensere, quæ Societatis domicilia poscerent, trium & viginti nomina ipsi detulit. Nulla earum repulsam est passa; deletæ quædam illustriores, à quibus initium ducebat. Sic anno post discessum nostrum nono, antiquas in sedes restituta Societas, & novis etiam aucta est. Quæ supererant pristinae cladis vestigia, paulatim abolita sunt. In primis erecta fuerat anno MDXCV. Parisiis ante valvas curiæ, quod Palatium vulgo vocant, ingens è saxo pyramis, imposita quadratæ basi, cujus lateribus statua quatuor insidebant. In eam incisum exilii nostri decretum, & multa eò spectantia, legebantur oratione vinctæ numeris & soluta, quæ antea recitavimus*. Probrosam Societati pyramidem Henricus IV. everti jussit, Idib. Febr. MDCV. quamvis intercederent viri magnæ apud ipsum auctoritatis, qui gravem inuri Parisinae curiæ hoc factò maculam causabantur. Illud à Rege duntaxat nostri contendebant, ut marmoreæ tabulæ tollerentur, in quibus atroces calumniatorum mania, nullo senatus decreto sculptæ fuerant. Hoc saltem orabant adversarii, ut everteretur noctu. Molem totam convelli Rex luce palam voluit.

Quamvis redditum nobis fuisset tertio Kal. Majas collegium Parisiense, nondum tamen erant aperta scholæ, quarum ingenti desiderio civitas tenebatur, præsertim cum cerneret in aliis urbibus collegia Societatis numero discipulorum, pietate, & eruditione florere. In Rotomagensi mille septingenti numerabantur: mille ac ducentos Rhedonense; nec pauciores Flexiense recensebat, magna Henrici voluptate, qui collegium hoc nuper à se conditum celebrari lætabatur, eamque ob causam Parisienses scholas conticescere tantisper sinebat. Hoc ipse disertis verbis respondit Patri Antonio Barifonio, quem Præpositus Generalis Societatis in Galliam miserat, ut pristinam docendi Parisiis facultatem à Rege postularet. Suberat alia fortasse interior causa, ne videlicet Universitatem Parisinam, nostro in Galliam reditu afflittatam, gravius irritaret. Offensiones enim hominum, quæ tunc in concusso recentibus bellis regno multæ & graves erant, tractare leniter amabat, imperioque parcius & auctoritate utebatur. Nihilominus pro eo, quo flagrabat, hæreseos debilitandæ studio, dedit anno MDCIX. regium diploma, quo potestas fiebat uni è nostris theologis, in collegio Parisiensi, quaestiones Fidei, quas controversas vulgo vocant, explicandi. Sed academiae rector, hoc instaurandi collegii velut omine, atque aditu, percussus, intercessit. Causa in forum delata. Non desuerunt adversariis insignes patroni: & Cardinalis Peronius, rerum nostrarum ceteroqui studiosus, quia Regi ab elemosynis erat, cujus muneris est regios professores nominare, molestè tulit hoc diploma se incipio impetratum, ac Regi significavit multos esse jam theologiæ doctores Parisiis, quibus præripi discipulos non conveniret. His rebus deterriti Socii Parisienses causam omittendam tam adverso tempore censuerunt. Sed quod in scholis non licebat, hoc in templis, hoc in privatis congressibus factitabant; ac religionem omni contentione tutabantur, adeo ut hæretici palam dictarent longè gravio-rem suis rebus plagam inflictam esse Jesuitæ vel unius reditu, quàm universorum exilio. Rex verè locutos sensit: nam Societatem magis in dies pernoscebat, ac lætus vidit oblatum sibi à P. Cotonò indicem, in quo perscripta erant omnia vectigalia, & reditus singularum in Gallia domorum Societatis, ex quo perspici posset, quantum illi à vero aberrarent, qui persuasum habebant, immensas quasdam à nobis opes in Gallia possideri, & majores undique coacervari. Mihi vero, subjecit Henricus, vestrarum opum tenuitas non veniebat in dubium: sed valebit index ad eos, qui contra sentiunt, coarguendos: statimque ad circumfusam

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

K

pro-

A. C. 1604.
Soc. 65.

68.

Probrosa Societati pyramis everta Lutetia.

* Supra. n. 32.

69.

Collegii Parisiensis scholæ cur tardius aperta.

procerum coronam conversus, integritatem Societatis ac modestiam laudare aggressus est.

70,
P. Petrus Cotonus ne in collegium Cardinalium cooptetur omni ope contendit.

A. C. 1605.
Soc. 66.

Quo magis hæc de nobis sentiret fecit P. Cotonus virtus, & contemptrix honorum humilitas. Hunc Arelatensi Archiepiscopatu ornare ante biennium statuerat. Ejus multis precibus deterritus abstiterat incepto: nunc, tam facile victum se dolens, novam cum modestia Cotonus pugnam suscepit, nec tantum illi Archiepiscopalem insulam, sed ipsam quoque Romanam purpuram imponere decrevit. Id à Paulo V. ad Apostolicum solium nuper everso non difficile impetratum iri confidebat. Spem ac desiderium accendebant recentia Tolerti & Bellarmini Cardinalium exempla. Unus occurrebat à Cotonus humilitate metus: hanc furtim & per cuniculos adoriri statuit; ut prius victam se, quam oppugnatam sentiret. Sed ita occultè rem moliri non potuit, quin Cotonum afflaret aliqua suspicio. Anxius adit P. Ludovicum Richeomum, Lugdunensi provinciæ præpositum, qui negotii causa tunc forte venerat in aulam. Orat enixè ut Regem ab hac sententia dimovere curet. Annuit Richeomus, & occasione Regis alloquendi captata, gratias agit pro summis ejus in Societatem beneficiis, quibus ut addere cumulum velit, rogat. Henricus magnum aliquid peti ratus, omnino daturum se respondet, si res digna se, digna Societate sit. Pergit Richeomus, & Tuorum in nos, inquit, beneficiorum magnitudinem, Rex, nemo cogitando assequi, nedum explicare, dicendo potest: hoc unum obsecramus, iis ut ponere modum velis. Non postulamus ut dones; ut ne dones, petimus: timemus ne forte inducas animum quempiam è nostris ad honores Ecclesiasticos promovere: hunc, oramus, exime nobis metum. Rex demiratus postulati genus, querit subridens, an sit ea mens universæ Societatis. Ego vero, subjecit Richeomus, id planè scio; ac tibi, Rex, confirmare possum. Henricus bonis verbis discedentem profecutus, jussit metum omittere; Societatem sibi curæ & cordi esse. Cotonus hac Regis oratione nondum sibi satis cautum existimans; ipse causam apud eum suam peroravit; ac distinctius explicuit peculiare votum, quo se Societatis professi obligant, nullam ut Ecclesiasticam dignitatem imponi sibi patiantur, nisi præcipiente nominatim ac diserte, summo Pontifice. Ego vero, subjecit Rex, si Pontifex essem, hujus edendi voti potestatem iis tantum in Societate facerem, qui essent deterioris notæ: ceteris, tui similibus, ne quid ejusmodi voverent imperarem. Cui Cotonus: Aliam Deus tibi, Rex, injiceret mentem, si esses Pontifex; ac perspicuè intelligeres quanti religiosorum Ordinum referat omnem ambitioni aditum intercludere: quàm necessarium sit iis Societatibus, quæ animarum saluti labores suos devovent, abundare peritis hominibus & egregiè piis; ac proinde providere, ne iisdem spoliarentur. Alia in eandem sententiam multa dixit, tanta vocis animique constantia, ut vera denique ab illo dici, & bona fide, Henricus persuasum habuerit. Itaque spondit se nihil deinceps ejusmodi tentaturum: & ea, quæ secum Cotonus differuerat, aulicis, non sine admiratione ac voluptate, postea sapius renarravit.

71,
Idem Cotonus Institutum Societatis adversus obtruncatores defendit, favente Rege.

Sic apud æquissimum judicem causam Societatis potius quàm suam egit facillime vir modestissimus: cum aliis quibusdam minus erga nos benevolis negotii plus illi fuit. Servinus, clarum tunc in foro Parisensi nomen, in vectus acriter coram Rege in Societatis institutum erat. Insectandi argumentum petebat ex eo, quòd nostræ leges potestatem faciant iis, qui apud nos simplicia religiosorum vota emisserunt, suorum jus honorum retinendi, & in eorum redeundi possessionum, si votis soluti à Societate, justis & gravibus de causis, dimittantur. Paternis perpetuo bonis privandos contendebat, qui semel in Societate vota edidissent. Aiebat nos, siquidem religiosi censeremur, pari ac ceteros religiosos jure esse debere: æquum videri, ut qui voverent paupertatem, peracto tirocinii biennio, exequantur ipsa re, quod verbo profitentur; & jus ac dominium bonorum abdicent, cui non bene convenit cum voto paupertatis: interesse reipublicæ, ut privatarum bona familiarum certa & mutationis expertia manerent; neque illarum tranquillitas adolescentum levitate ab instituto religioso desciscientium turbaretur: multis civibus ista ratione fraudem & damnum creati, cum aliquis uxorem duxisset.

duxisse opulentam ratus, delusum se, reverso ad seculum juvene, uxoris fratre, cerneret: cum alius nummos putans dedisse se tuto ac locupleti debitori mutuos, eum postea solvendo non esse deprehenderet, accisis fortunis, & in adolescentem religiosæ vitæ desertorem divisit. Regii sigilli custodi Sillerio Rex innuit ut intrmitteret P. Cotonum, qui pro se ipse diceret. Venit, & eam habuit orationem, quam omnium excepit approbatio.

Ac primo quidem docere cepit quænam fuisset S. Ignatii mens in hac ferenda lege. Nimirum id spectavisse virum longè prudentissimum, ut nullos in Ordine suo nisi lectissimos homines retineret. Cum videret porrò id fieri non posse, nisi aliqui subinde dimitterentur; qui si manerent, & sibi graves & Ordini toti forent; simul intellexit multo minus laboris fore in iis dimittendis, quibus honesta domi suppeteret ad vivendum prædia, quàm quibus nulla. Neque vero quemquam esse tam duro, tam iniquo in suos liberos animo, qui eos infelicem, aut in genere vitæ religioso, cui non sint idonei; aut in seculo, ad quod redierint, vitam vivere, ac paternis carere bonis velit, ne quid reliqua familia capiat incommodi. Perrexit Cotonus ostendere diversam, in variis Ordinibus, religiosæ paupertatis rationem*; eamque pluribus confirmavit exemplis: demonstravit incertam illam, & suspensam ex adolescentium constantia fortunarum in familiis aleam, nullis fraudi & damno esse, præterquam imprudentibus: constitutionem nostram & legem, quæ omnibus nota esset, multo minus obeffe commercio & negotiantium commodis, quàm substitutiones occultas, fideicommissa, latentem hypothecas, & alia id genus, passim usitata.

Porro, cum cerneret hæc à proceribus qui aderant vehementer probari, censuit explicandam paulo fusius votorum, quæ in Societate fiunt, naturam: Rege perlibenter audiente, quippe qui cuperet totam Instituti nostri rationem, habere notissimam: & istud ceteroquin de votis nostris caput vulgo erat ignotum; ac multos etiamnum inducit in errorem. Duplex igitur votorum genus distinxit; alterum simplicium: alterum solennium. Utraque porro cum a religiosi viris eduntur, vim suam omnem & propriam quandam indolem haurire docuit à Constitutionibus & regulis instituti religiosi, in quo nuncupantur: idque disertis verbis denunciant qui vota post tirocinium emittunt in Societate: *Omnia, inquit, intelligendo juxta ipsius Societatis Constitutiones* *. Jam, Constitutionibus Summorum Pontificum, & legibus Societatis, quas iisdem Summi Pontifices approbarunt, & Concilium Tridentinum sanxit, cautum id ratumque habetur, ut novitii, exacto tirocinio, tria substantialia religionis vota, etsi simplicia, emittant, quibus ita cooptantur in corpus Societatis, ut *libera maneat Societas*, nec teneatur ad eos admittendos ad Professionem, nec in Coadjutores Formatos, si studiorum tempore male se gererent... Et tunc ipsi etiam suis votis soluti erunt. Declaretur iis qui dimittuntur, inquit Conditor Societatis*, quod soluti maneant à votis simplicibus, quodque nulla alia dispensatione indigeant*. Addit Gregorius XIII. *eam conditionem multo esse iis commodiorem, ut liberi potius, quam votis obligati dimittantur**. Hoc vero maximè proprium est, subjecit iis recitatis Cotonus, votorum ejusmodi simplicium, ut à Societate solvi possint, eoque præsertim nomine distinguuntur à solennibus, quæ solvi ac rescindi nequeunt, adeo ut si quos post illa edita contingat à Societate dimitti, nequaquam tamen suis votis ab ea liberentur, nec esse religiosi desinant, ut ii qui post edita vota simplicia dimittuntur.

Altera dos votorum simplicium Societatis est, ut iis obstricti dominium bonorum suorum, & beneficia Ecclesiastica, si qua ipsis ante collata fuerant, quàm inirent tirocinium, possint retinere; donec vota novissima vel Coadjutorum vel Professorum edant*. Hoc dominium apertè Gregorius XIII. edicit in Apostolica Constitutione, *Ascendente Domino &c.* Ubi hanc etiam hujus decreti causam subdit, *Ut majorem, inquit, Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, cum minore offensione dimittendi*. Et certè, aut eripiendum Societati est jus dimittendi quos ipsa dimittendos judicaverit, ejusque Institutum convellendum; aut relinquendum iis, quos dimittit, bonorum dominium; ne illorum vita & dignitas dedatur arbitrio, avaritiæ, ac sæpe feritati consanguineorum, qui miserorum

72.

Cur admissi in Societatem bonorum dominio se non abdicent ante solennem votorum professionem.

* Vide opusculum P. Valentini Mangionii, editum Colonia 1639.

73.

Natura votorum quæ in Societate fiunt.

* In formula votorum simplicium.

* Exam. c. 6. §. 8. c. 7. §. 1.

* II. P. Constit. c. IV. §. 3. & P. V. c. IV. B.

* In Bul. Ascendente Domino.

* Exam. c. 4. §. 2. & 5. Const. P. III. c. 1. §. 7. & 25. P. IV. c. 4. E. Pavi. VI. c. 2. H.

injustè retinerent bona, quippe ab iis non abdicata, nisi ea lege, si in Societate remanerent. Tertia dos eorundem votorum est, ut iis soluti, ac dimissi è Societate, suis fruantur bonis, ac beneficiis Ecclesiasticis, quippe qui eorum dominio nunquam fuerint spoliati: & perinde se habeant, ac si nulla unquam vota edidissent. Hæc omnia diligenter exponuntur illis qui Societati dare nomen cupiunt: quæ cum intellexerint, censendi non sunt quidquam aliud, præter id, quod ipsis declaratum est, vovisse; neque ipsis quidquam oneris imponi potest, quod ipsimet ignoraverint, & quod proinde suscipere nullo pacto potuerint.

Vidit Cotonus, cum ea diceret, laborare nonnullos in iis vocibus intelligendis Professorum, Coadiutorum Formatorum, & similibus, quæ Instituti nostri propria sunt. Quia tamen eas Regi privatim explicuerat, cunctabatur iisdem renarrandis sermonem iusto longius proferre. Imo pergratum erit mihi, subjecit Rex, si hæc isti etiam audiant. Igitur ita cœpit. Quinque sunt in Societate nostra velut hominum classes. Prima complectitur Professos*, qui vota solennia quatuor ediderunt: tria Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ: & quartum, quo se obligant Summo Pontifici ad proficiscendum sine excusatione, non petito viatico, quocumque gentium ejus Sanctitas jusserit, inter fideles, vel infideles, ad res quæ ac divinum cultum, & religionis Christianæ bonum spectant*. Secunda classis Professos trium votorum continet, qui solennia pariter edunt vota, sed tria tantum. Tertiam classem componunt Coadiutores Formati; qui duplicis generis: alteri Spirituales vocantur, & sacerdotio sunt initiati; alteri Temporales, & in re familiari tractanda versantur. Utrique, post factam ipsorum virtutis per annos aliquot periculationem, nuncupant vota publicè, sed merè simplicia. Pertinent ad quartam classem, quicumque post tirocinium admissi, necdum adepti Professorum vel Coadiutorum Formatorum gradum, ad illum veluti tendunt, spectanturque ut ad alterutrum statò tempore promoveantur, quem se accepturos, ut Præposito Generali videbitur, promittunt his verbis formulæ votorum simplicium: *Promitto Societatem me ingressurum*. Quo in loco, nomine Societatis intelligitur pars ejus præcipua, quæ Professos, præsertim votorum quatuor, & Coadiutores Formatos, complectitur. Porro isti nondum adepti gradum suum, vel operam litteris dant, & Scholastici Approbati nominantur; vel domesticis exercentur ministeriis. Utrique confecto tirocinio votis simplicibus se obstringunt, & verè ac propriè sunt religiosi: ut Summi Pontifices definiunt. Demum, quinto in ordine novitii numerantur. Itaque professionem, si propriè ac præcisè loquamur, non faciunt, nisi quos prima & secunda classis includit. Ceteri omnes simplicibus duntaxat alligantur votis: iidem tamen Societatis corpus universi constant, è variis membris, inter se aptis connexisque, compositum*. Si quis pressius loqui velit, tres ad classes partitionem contrahet, quarum prima Professos, altera Coadiutores Formatos, tertia reliquos complectetur.

His auditis non se tenuit Servinus, quin tacitus obmurmuraret. Sensit Rex, ac si quid contra quæ dixerat Cotonus, occurreret, proloqui liberè jussit. Mihi vero, subjecit ille, prima illa, quæ post tirocinii biennium eduntur à novitiis in Societate vota, vim omnem habere professionis videntur; nec iis abesse quidquam, quominus dicantur solennia. Eduntur post exactum ætatis annum sextumdecimum, peracto ritè tirocinio; in ipso Missæ sacrificio; & clara voce pronunciantur, multis audientibus: appellantur denique in Constitutionibus & Bullis Pontificiis vota substantialia. Erat Servinus in causis dicendis exercitatissimus; at in Instituto Societatis peregrinus atque hospes, ut vel tunc patuit, cum Professionis nomen & vim tribuebat votis, quæ sunt a tironibus nondum admissis ad Professionem*: quæ sunt cum promissione ingrediendi Societatem, qui ingressus intelligendus est ut Professionem, vel vota Coadiutorum Formatorum emittant*: cum appellabat vota solennia, quæ in Pontificum Bullis, in Societatis Constitutionibus appellantur & sunt merè simplicia; quæ a tirocinii rectore, novitium admittente in corpus Societatis, non accipiuntur nisi ea conditione, ut iis exsolvantur, si iusta & gravis causa coegerit. In quo se difficilem præbere consuevit Societas; neque in adversa valetudine, aut doctrinæ, ingeniive penuria satis esse cause

* *Suares To. IV. de Relig. Tr. X.*

* *Exam. c.1. §.5. Constit. P. VI. c.2. §.13. & P. VII. c.1. §.3.*

74.
Varii gradus & quasi classes in Societate.

* *Exam. c.1. Constit. P.V. c.1. Greg. XIII. in Bul. Ascendente Domino.*

* *Suprà. num. 73.*

* *Exam. c.1. §.1.*

causa putat cur semel admissos emittat; nec ferè nisi volentes urgentesque, omnibus diu multumque perpensis, dimittit: invitos autem iisdem vulgo de causis ejicit, propter quas aliis in Ordinibus religiosis conjicerentur in vincula. Tunc vero illos abire liberos certè præstat, quàm constrictos in ergastulis contabescere. His, quæ perspicua erant, allatis, Cotonus facillè Servinum & proceres dedocuit. Quòd autem ea vota susciperentur post annum ætatis 16. & tirocinium exactum; quòd substantialia nominentur, quòd publicè, quòd clara voce, quibusdam audientibus, recitentur; quòd fiant in religione approbata; negavit hoc ad voti solennitatem pertinere; & Servinum aut Pontificii juris parum intelligentem esse; aut quæ sciret malignè dissimulare, ostendit.

Instabat ille tamen, & solennia esse contendebat, quia voventes novitios obligant religioni; & in perpetuum, quantum in ipsis est, mancipant: adeo ut apostatæ censeantur, qui ea vincula ipsimet frangant, quæ nisi à Præposito Generali Societatis solvi non possunt. Formulam ipsorum votorum recitavit, qua novitius vovet *Divina Majestati coram curia celesti universa Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam perpetuam in Societate IESU*. Hæc omnia verè dici confessus est Cotonus, non tamen inde confici vota esse solennia; requiri enim alias ad solennitatem voti conditiones; nempe ut vovens Ordini Religioso, & Ordo religiosus voventi vicissim, peculiari quodam & strictiori modo se obliget; ut solennis voti vinculum ab Ordine religioso frangi non possit, atque adeo religiosum virum in statu constanti & immutabili constituat: ut dominii retinendi, contrahendi matrimonii, obligationis civilis absque consensu præpositi * suscipiendæ, facultatem omnem in perpetuum adimat; & alios quosdam effectus morales fortiaur ab Ecclesia præscriptos, penes quam jus & arbitrium est voti solennitatem, certis legibus ac limitibus definiendi. Addidit Cotonus omissem à Servino, in votorum formula recitanda, promissionem ingrediendi Societatem, ad accipiendum in ea gradum, prout ejus moderatori videbitur. Quæ promissio votis adjuncta eorum simplicitatem clarè demonstrat *. Omissem quoque clausulam, qua novitius testatur se vota edere *omnia intelligendo juxta Societatis Constitutiones*: ab iis autem vota hæc simplicia declarari. Cum ergo novitius simplicia tantum esse intellexerit, nec nisi simplicia voluerit edere, juxta Societatis Constitutiones ipsi explicatas; dici non potest alia edidisse vota, quàm simplicia. Non defuerunt exempla quæ Cotonus proferret; siquidem in Ordinibus religiosis bene multis eduntur vota perpetua, sane, si spectentur voventes; non item, si religio; cui jus illos dimittendi & potestas est. Tum, ad Henricum conversus, Dum scribuntur à te, Rex, milites, inquit, perpetuam illi tibi operam spondent, adeo ut censeantur desertores, si à signis recedant injussu tuo: neque tibi tamen facultatem adimis eos dimittendi.

Hic aliquis è proceribus: Qui fieri potest, ait, ut religiosus censeatur, qui professionem in Ordine religioso non edidit? Respondit Cotonus, fieri omnino posse, si quis vota religiosorum propria ediderit; si Deo se totum in religione approbata dedicaverit; si eum, licet votis duntaxat simplicibus vincum, Ecclesia tamen religiosum dici & esse jusserit, cujus est de religiosis Ordinibus, & eorum votis statuere. Porro ita statutum à Summis Pontificibus, & Concilio Tridentino fuisse, ut homines Societatis votis simplicibus religiosi vere fierent. Populum tamen ita vulgo loqui dixit, ut appelletur Professus Ordinis cujuscumque religiosi, qui tria vota substantialia, quæ vocantur, edidit. Religiosus enim dicitur quicumque se ita Deo per vota tria substantialia consecrat, secundum formam ab Ecclesia comprobata, ut non remaneat amplius sui juris, sed quasi dominium sui transferat in alium Dei vices gerentem. Hoc autem votis simplicibus convenire potest. Audieram, objecit alius ex eodem nobili confesso, Societatem JESU inter Mendicantes Ordines recenseri. At vetitum est Mendicantibus bonorum dominium, vetita beneficii Ecclesiastici possessio, & alia id genus. Docuit Cotonus Mendicantium nomen, si dominium excludere dicatur, cadere in Professos duntaxat, & Coadiutores formatos: universa tamen Societati nomen idem *verè & non fictè* convenire, ut est à Pio V. declaratum *. Aderat inter proceres abbas neque ignobilis, neque ineruditus. Quisquis, ait ille, votum edit paupertatis,

imponit

75.
Ratio voti solennis in quo consistat.

* *Suares To. III. de Rel. lib. II. c. 7. 12. 13.*

* *Const. P. V. c. 4.*

* *In Bulla Dum indefesta.*

imponit sibi necessitatem abdicandi rerum suarum dominii. Quid enim aliud hoc voto promittitur? Rectè narras, retulit Cotonus, & hanc dominii abdicacionem homines Societatis voto simplici promittunt, sed faciendam quo tempore ipsorum præfidi videbitur. Interim religiosa paupertatis fructu & gloria non carent, quippe qui nulla re tanquam propria uti possint, nec de bonis, quorum domini sunt, quidquam, absque præpositi sui venia, decernere: in quo uno consistit natura propria religiosa paupertatis.

76.
Votum religio-
sæ paupertatis
explicatur.

Næ tu, mi Pater, inquit subridens idem eruditus abbas, monstrum nobis affers in isto religioso, è pugnantibus inter se rebus, divitiis & paupertate, constarum. Pauperem esse contendis; ego simul divitem. Nemo enim filiosfamilias divites esse negaverit, aut pupillos qui sunt in tutoris potestate: quippe rerum suarum dominos, quamquam iis uti arbitrato suo nequeant. Duplex à Cotonus discrimen allatum est. Primum, quòd religioso votis simplicibus ligato, necessitas imposta sit abdicandi dominii, cum ejus præposito visum erit: alterum, quòd bonorum usu carere in perpetuum, quantum in ipso est, debeat. Imo, repouit Servinus, nec dives, nec pauper est homo religiosus; sed omnino mortuus, civiliter nimirum, ut loquuntur jura. Respondit Cotonus, mortem illam civilem, quæ religiosum dominio spoliat, voti solemnem effectum esse, non simplicis. Adjecit esse quodammodo mortuum etiam illum, quem simplicia tantum vota vinciant, si spectetur bonorum usus, quem habere nullum, nisi ab aliena suspensum voluntate, potest. Demum, quæ vis & notio subjecta sit illi voci, cum religiosus vir, seculo mortuus dicitur, explicuit. Atenim, subjecit nonnemo paulo subtilior, Hæc vota quæ dicuntur à te simplicia, matrimonium ne sit validum efficiunt*; cur vim eandem non habebunt, ut dominium penitus elidant? Disparem ostendit Cotonus esse rationem voti Castitatis, & Paupertatis in Societate: ejus discriminis causas à Sedis Apostolicæ decretis repetiit, quæ non illicitum tantum castitatis voto simplice, quandiu solutum non est, reddi matrimonium, proprio Societatis jure, voluerunt; sed invalidum penitus & irritum: eodem autem voto soluto per legitimam dimissionem, perinde contrahi posse matrimonium, si aliud nihil obstat, ac si nullum unquam vorum fuisset editum.

* *Bul. Gregor.*
XIII.

77.
Mutuus religio-
nem inter & re-
ligiosum con-
tractus.

At hoc certè non negabis, retulit Servinus, jura canonica, & præscos eorum interpretes, longè doctissimos, ore uno contestari, virum religiosum, nisi qui vota solennia fecerit, neminem appellari posse. Sane, inquit Cotonus, ita locutos fateor ante Societatem conditam & approbatam, quo tempore per solam votorum solennium professionem religiosi constituebantur. Non effecit tamen Societas, subjecit idem Servinus, quin ingressus in Ordinem religiosum vim haberet ac nomen sacri contractus, quo perpetua servitus vovetur Deo, sequestro atque interprete homine. Porro contractus ut valeat, necesse est ut mutuus sit. Obligant se Societati qui eam amplectuntur, cur ipsa se ad eosdem retinendos non obligat? Quid quod status religiosi ratio & natura postulat, ut firmus immutabilisque sit. Petiit à Servino Cotonus, an famulos ita domum suam admitteret, ut de iis perpetuo retinendis teneretur. Servitatem, quæ Deo vovetur in religioso instituto (si sacra cum profanis liceret componere) perfectam ad eundem esse modum posse. Adjecit, contractum inter Societatem, & eam ineuntes, semper esse mutuum; sed cum professis, aliisque, diversum. Conditionem vero additam contractui, in votis simplicibus edendis, non modo esse Societati necessariam, sed ipsis quoque voventibus perutilem: ab iis intellectam & acceptam: denique ab eorundem voluntate, arbitrioque suspensam; siquidem ipsis denunciatur, habentque persuasum, quando Societati se tradunt, se non posse dimitti, si rectè se in ea gerant. Jam ad religiosi status firmitatem sufficere, ut qui eum amplectitur, non facile, nec privata sua, sed publica potestate, & gravi justaque de causa, desciscere ab instituto queat*. Rex multa laude Cotonum dicentem profecutus vetuit ne quis Institutum post hac nostrum vexaret. Bonis, inquit assurgens, utuntur legibus; utantur sanè, ac nos porro negotium illis faceffere desinamus.

* *Exam. e. 6. Suar.*
Tom. IV. de Rel.
Tract. X. Lib. III.

Non destitère nihilominus aliqui, aut parum nobis benevoli, aut Instituti nostri rudes, molestiam identidem Societati exhibere in hoc eodem argumento.

mento. Leges * objecerunt, quæ Professos in Ordine religioso excludunt hereditatibus, & aliis civilibus muniis. Quid respondendum sit patet ex iis, quæ modo sunt allata: videlicet nullam simplicibus, quæ nuncupantur in Societate, votis fieri professionem in Ordine religioso. Atque ita fuisse judicatum etiam à senatu Parisiensi, testantur edita, post illas leges, ab eo decreta, quibus legitimam adeptos à Societate missionem, votis simplicibus emissis, hereditates jure capere decrevit, ut videre est in causa Robillardi 12. Octob. 1585. Lagrangei, 23. Decembr. 1592. apud Fillæum, Tom. II. p. 4. q. 117. & Chenum, Cent. II. c. 17. In causa Ricaumi, apud Mechanium, Tit. de Success. art. 16. Apud Presbyt. Cent. I. c. 28. n. 18. Noallii, apud Mainardum, Lib. V. c. 15. Mognoni, apud Expillyum c. 225. &c. Aliqui edictum Henrici IV. promulgatum anno MDCIII. cum restituta in Galliam Societas est, nobis intentant. Videntur isti nunquam edictum legisse, aut certè nunquam expendisse. Quintum ejus caput, de quo uno hic agitur, in hæc scriptum est verba:

Nulli ex eadem Societate, seu vota simplicia tantum, sive alia ediderit, fas esto bona ulla non moventia acquirere in regno nostro, emptione, donatione, aut alio quocumque modo, absque nostra facultate. Item nemini ejusdem Societatis adire liceat ullam hereditatem, sive in directa, sive in transversa linea, quemadmodum ceteris religiosis vetitum est. Quod si postea nihilominus dimittantur ab eadem Societate, illis fas erit in bonorum suorum possessionem reponi. Duo hic statuuntur: alterum spectat eos, qui manent in Societate: alterum eos, qui ab ea dimittuntur. Manentibus in Societate jus & dominium bonorum, si quod illis ante initam Societatem competeat, non eripitur. Id unum Rex prohibet, ne novum jus acquirant, neve adipiscantur bona non moventia; neque id absolute prohibet, sed ne absque suo concessu, quasi jus ipsorum agnoscat quidem, sed eo tamen illos uti, nisi se conscio & permittente, nolit. Dimissis vero plena datur ac libera potestas fruendi jure suo, & in bonorum possessionem redeundi. Sunt qui tradant placuisse aliquando supremæ Parisiorum curiæ, ut contraheretur tempus illud retinendi bonorum dominii ad annos quinque; sic, ut iis post edita vota simplicia elapsis, jus non esset nostris hominibus, si dimitterentur, in pristinam bonorum possessionem veniendi. Sed hujusmodi placitum, in quo habeatur ista circumscriptio temporis, nullum profertur; neque ulla sit ejus mentio in Actis & tabulariis fori Parisini; aut in variis, quæ de hoc argumento per doctissimos patronos habitæ sunt, causis: & qui hoc senatusconsultum citant, nihil afferunt quo existare illud probent.

Errant vero graviter, & ignoratione historiæ labuntur, qui hanc annorum quinque circumscriptionem ab ipso Henrico IV. perscriptam affirmarunt. Locum opinioni de isto quinquennio videtur dedisse caput nonum edicti, anno MDCXXIX. confecti, quo statuitur *Ut quicumque religiosorum Professorum vestem in quolibet ordine, post annum probationis gesserint, & in religiosa domo, ubi sacrum induerint habitum, annis quinque manserint, Professores cessentur, atque adeo hereditates adire nullas possint.* Caput hoc, ut ipse titulus declarat, conscriptum fuit adversus tacitas & clandestinas professiones, quas esse apertas oportere, & idoneo scripto testatas, cautum fuerat edicto Molinensi. Cui quidem edicto cum adversari decretum istud anni MDCXXIX. & clandestinas ejusmodi professiones approbare videretur, quippe quas haberi vellet ratas, si modo quinque post tirocinium anni fluxissent, antiquatum fuisse dicitur. Ut ut est, eo non comprehendi homines Societatis liquet, simplicibus votis obligatos, & iis ab eadem exsolutos, quippe qui nunquam *religiosi Professores* fuerint, nunquam *Professionem tacitam vel apertam emisissent.* Neque enim veste monachus*, neque veste Professus efficitur: utque perperam censeretur esse monachus, & monachorum oneribus ac legibus obstrictus, qui monachi gessisset vestem; nisi vota monachorum propria nuncupasse probaretur: ita ceteri Professus nemo potest, qui vota Professorum nunquam ediderit. Sed quamvis hunc annorum quinque limitem inventum alicubi & constitutum fuisse fateremur; quilibet rerum æstimator æquis factis intelligit non posse privato cujusquam curiæ placito abrogari, aut circum-

* *Edictum Casobritanicum: decretum Blesense.*

78.
Edicti Henriciani caput quintum expenditur.

79.
De ficta circumscriptioe quinquennii, in regis diplomate.

* *Cap. Porrectum. de Regularibus.*

scribi & immutari legem fixam à Principe, à nullo ejus successorum refixam vel immutatam; à primaria regni curia solenni ratihabitione ac sine ulla exceptione approbatam; neque Summorum Pontificum constitutiones rescindi; aut spoliari Societatem jure suo, Quod, uti Gregorius XIII. testatur*, ad ejus conservationem maxime est necessarium, idque ab illius exordio provisum, & post experimento comprobatum est.

* *Const. Ascendente Domino.*

* *In vita Sancti Ignatii.*

80.
Jus pristinum Societatis etiam in Gallia manet.

* *Vide Ricardum de Donationibus. Par. l. c. 3. Scilicet. V. n. 112. Item Ephe- meridem Audien- tiarum lib. 1. tom. 4. c. 31.*

* *Lib. III. n. 20. 21.*

* *Suarez Tom. IV. de Rel. Tr. 10. Sfortia Pallavicin. Vindic. Soc. c. 15. 16. 17.*

81.
Ecclesiastica beneficia religiosi Ordinibus col- lata.

Itaque audiendi non sunt scriptores, qui jus Societatis ubicumque terrarum ac gentium vigere narrant, præterquam in Gallia, ubi supremis curiis non est visum, inquirunt*, id concedere Societati, quod à Sede Apostolica, Institutum ejus approbante, concessum fuerat. Aliter se res habet. Jus enim eorum, qui à Societate, cum bona ejus venia recedunt, nunquam, uti diximus, abrogatum in Gallia fuit: imo confirmatum edicto regio, sine ulla temporis circumscriptione. Quod attinet ad eos qui remanent in Societate, illis jus & dominium bonorum, quo antea quam ingrederentur Societatem, gaudebant, nequaquam adimitur; tantum, ut res non moventes ne acquirant, nisi Rege annuente; neve ullam adeant hereditatem, interdicitur. Id autem regiâ, non Parlamentorum, quæ Galli vocant, auctoritate sancitum est; in iisque viguit jus Societatis, & ab Henrico lata lex*; ac si quando visa sunt ab eâ discedere, ita suavitatis status, qui nullum legi locum relinquebat. Interdum Instituti nostri non satis explicata, aut invidiosè occultata, ratio nonnullam altercationem attulit. Sed ubi demonstrata fuit & expensa, valuit æquitas, & sententia secundum Societatem dicta: ut patet ex Actis Fori Burdigalensis in causa Judicis an. 1622. Locratæ, 1655. Monmejani, 1657. Bernardi Lavii 1697, &c. Item ex Actis Senatus Tolofani ad an. 1658. Id universè dici potest, injectum vulgo fuisse sapientissimum magistratibus metum, ne qua perturbatio in familiis inde oriretur: sed, si privatarum aliquot familiarum damna formidantur, quæ nulla tamen aut levia esse Cotonus demonstrat; æquum interim videtur aliquam rationem haberi Societatis, quæ familiarum omnium commodis servit; & cui non levem injuriam, damnum vero longè gravissimum, hoc jure illi erepto, vel imminuto, certum est irrogari. Nec nullam haberi curam par est eorum, qui, licet in Societatem sint admissi, quandiu tamen in ea suorum bonorum domini manent, pars aliqua paternæ familiæ censi meriti possunt. Opponunt alii caput VII. regii ejusdem diplomatis, anni MDCIII. quo in capite jubentur Societatis religiosi eodem uti jure, quo alii religiosarum familiarum alumni. Agitur in hoc septimo Edicti capite de jurisdictione civili magistratuum; itaque ad rem præsentem nihil pertinet; ac si quo pertineret pacto, explicandum esset ad mentem & sententiam capituli V. quo jus eorum, quibus missionem legitimam dat Societas, sine ulla dubitatione adstruitur. Denique sunt qui de Societatis quidem jure non ambigunt: sed in eo tamen aliquid reprehendant. Iis abunde responsum est tum in Historia Societatis Parte tertia*: tum à celeberrimis theologis**, quorum proluxa referre scripta non operæ est.

Aliam quandam nobis, Henrico adhuc superstite, intulit litem supplicum libellorum magister. Ad regium consilium admissus statuendum censuit, ne quod beneficium Ecclesiasticum domibus Societatis in perpetuum addiceretur. Contendebat Ecclesiam plurimum damni eo pacto facere: frustrari voluntatem illorum, à quibus hæc beneficia fuissent instituta: eadem perire veluti atque aboleri, cum uni affigerentur loco, quæ multis Ecclesiæ ministris juvenandis ornandisque nata & data forent. Rex, qui aderat, tuendam Societatis causam ipse suscepit, ac docuit auctores sacrorum hujusmodi beneficiorum maximo, si redirent in hanc lucem, gaudio afficiendos, cum viderent relictas à se fortunas tam utiliter collocari. Laudavit Regis vocem confessus omnis, nec mutire contra quisquam est ausus. Effet enim vero periniquum (ita Villaregius institit) utilissimis & integerrimis Societatibus idcirco eripere fundos & prædia, quorum fructus tam sancte impendunt; ut iis pauci quidam, publicæ rei ac pietati non tam utiles, ac sæpe damnos, saginarentur, & indignum aliquando in modum abuterentur.

Sed

Sed nihil Cotonno molestia plus exhibuit, quam libri quidam exotici, ab alienigenis, ut ferebatur, scriptoribus Societatis compositi, odioso argumento, & cum offensione Principum conjuncto, quorum dignitati & personæ honorem habere lex humana pariter ac divina jubet, etiamsi reprehendantur eorum opiniones aut edicta, cum religioni adversantur. Sane non poterat vir prudentissimus ejusmodi scripta non vehementer improbare, si erant a Societatis hominibus elaborata; quippe ab Instituti nostri ingenio penitus aliena, ejusque vetita legibus: idem tamen eorum iniquitatem ægerrimè ferebat, qui geminam hoc in negotio litem nobis intendunt, utramque injustissimam. Primam quidem, quod solos doctores Societatis faciant reos, licet eadem scribant, quæ alii passim doctores ac theologi: alteram, quod quidquid peccatur a diversæ gentis scriptoribus è Societate, id ceteris hominibus ex eadem Societate, cujuscumque tandem sint nationis, præstandum ac luendum putent: violatamque imperii, verbi gratia, Gallici majestatem clamitent, si Romanus Societatis scriptor non eodem semper modo, atque Gallus, loquatur ac scribat. Id quam iniquè sit comparatum facile pro sua æquitate & sapientia Henricus IV. intellexit, nec uno in loco palam fecit. Nunquam verò apertius, quam cum editus in lacem est liber nomen Bonarscii præferens, qui scriptus à P. Scribanio Belga dicebatur. Titulus libri, *Amphitheatrum honoris*. Eiusdem argumentum & consilium, Refutatio calumniarum quibus Calvinistæ Societatem incesunt. In eo se notatum ac læsum credidit regius in senatu Parisino advocatus, cujus memini modo, Servinus. Fremit, ac Lutetiam omnem querelis & clamoribus incendit: nec suam tantum causam esse jactat, verumetiam ipsius Regis, quem isto libro præcipuè offensum vociferatur. Dux Monbazonium certiorum de re tota fecit P. Cotonum, ipsumque Regem, ut adversus hominis impotentiam esset uterque paratior. Nec diu moratus Servinus, apud Henricum graviter exposulatur. Amphitheatrum honoris, ut exitialem regno ac Regi librum describit; coercendam scriptorum ejusmodi temeritatem & licentiam.

Rex Cotonum accedere propius jussit, qui Servinum breviter hac oratione compefcuit. Si te, quod profiteris, una Regis salus & gloria movet, inquit, mirum profecto est, quod files de famoso Burdigalensis caudidici libello, qui tuas nuper in manus venit. Hic enimvero Gallicè, à Gallo; impiè in Regem nominatim & injuriosè scriptus est: de hoc files tamen, & quiescis. Belgam, qui Latine scripsit, qui Regis nomen appellat nusquam; accusas, & excandescis. Mihi crede, videt Rex quid agas; ac si per te possum quid sentiam aperire, dicam. Hic, quia Jesuita, reus tibi & niger; ille, quia hæreticus, infons & candidus est. Pressit iram Servinus præter morem, & promissit se, quidquid dixisset, ipsius libri testimonio probaturum. Accepit conditionem Pater. Itur Servini domum, liber diu quaesitus non apparet. Urget Cotonus, & repertum in amici serinio librum Servino defert, rogans ut exitialem illum locum, in quo tantum veneni deprehenderat, indicaret. Operam Servinus in quaerendo lufit: utque suum pudorem levaret, aliena quæpiam injecit in sermone. At hunc revocans Cotonus, Istud, inquit, non agitur: de Bonarscii libro lis nobis est; eam vero quia non potes explicare, satis habuero si tecum hodie reputare velis, quam iniquum nobis te præbeas, cum præceptas olim contra Societatem opiniones non deponis. Ita concitatus de *Honoris Amphitheatro* tumultus confedit. Rursum hanc instaurare litem quibusdam placuit, at successu nihilo felicior. Imo Rex auctores ejusmodi librorum prudentius ignorari aut dissimulari judicans, quam inquiri; ea suspicione deterritus non est, quin Patrem Scribanium multis regiæ benevolentia documentis illustribus honestaret.

Nihil ab ejus æquitate ac benevolentia sperandum Societati universæ non erat, si vitam longius produxisset. Hæc illi paulo post nefario erepta parricidio fuit, ejusque acerba & immatura morte vexatio Societatis in Gallia recruduit. Rebus in regno compositis & constituta pace, bellum in Germania gerendum magna mole apparabat. Egressus regiæ pridie Idus Majas anni MDCX. sub horam à meridie quartam, devenit in angustum urbis vicum, ubi ejus rheda præ-

82.

Molestia & periculum Societatis è quibusdã libris.

83.

Amphitheatrum honoris: liber à P. Scribanio scriptus.

§. V.

VEXATIO SOCIETATIS IN GALLIA POST HENRICI IV. MORTEM RECRUESCIT.

A. C. 1610.
Soc. 71.

euntibus retardata plaustris, herere aliquandiu coacta est. Dilapsis huc illuc, ut viam expedirent, stipatoribus, qui rhedam vulgo regiam cingunt, armatus cultro sicarius, caput in eam inferens, Regem cum proceribus colloquentem gemino vulnere percutit, ac pulmone trajecto exanimem sternit. Detestabili parricida nomen, Franciscus Ravalliacus; patria, Inculisima; facinoris causa, concepta in Regem rabies, quem hæreticorum putabat fautorem; & relictus è superiorum temporum ac bellorum æstu furor, Consciis impulsorque parricidii nullus proditur, nullus in publicis Actis unquam appellatus. Eo vulnere Gallia prope omnis concidit, quippe quæ Regem carissimum juxta & potentissimum amitteret, adhuc annis & robore florentem; nam octavum & quinquagesimum duntaxat annum agebat, easque præferebat vires, quæ longissimæ vitæ pares videbantur. Multus ubique de ipso, quantum sinebat dolor, & multa cum laude, sermo; aliis bellicam ejus fortitudinem prædicantibus, qua se in mediam hostium aciem eentis & quadragies, dux idem & miles, ac sua lauream decerpens manu, immiserat; trecenta oppida obsidione cinxerat; nunquam ab armis, per annos tres ac triginta, discesserat: aliis prudentiam in toleranda regendaque tanta vitæ ac fortunæ varietate; in regno recuperando; in componenda & pacanda tot inter procellas Galliâ, quam è summis ereptam calamitatibus ac periculis, in pristinum decus restituerat. Alii clementiam laudabant, qua inimicis privatis æquè ac publicis, tam libenter, tam constanter ignoverat: plurimi religionem & pietatem, quam & verbis & factis tueri non destitit; cujus gloriæ ita studebat, ut hoc ipso anno professus sit, se quidquid ageret, quamvis nonnihil hæreticis indulgere videretur, ad religionem tuendam & amplificandam referre.

84.
Cor Henrici IV
Flexiam defer-
tur in collegiū
Societatis.

Reginam totius regni moderatricem, impubere adhuc filio, senatus proceresque renunciaverant. Ad eam cum Patres altero post execrabile parricidium die venissent, & Cotonus pauca singultim, dolore & lacrymis oppressus, verba fecisset; Te vero, mi Pater, inquit, adesse mihi, ut hæcenus consuevisti, volo; filioque meo à confessionibus & concionibus esse, quemadmodum ejus parenti fuisti. Eidem ac ceteris Patribus regale patrociniū Rex ultro pollicitus est, eam sibi, patris exemplo, Societatem semper fore affirmans, quæ paternæ benevolentia postremum & singulare haberet pignus. De corde Henrici loquebatur, quod ipse Societati pridem donaverat, si quid sibi humanitus accideret, ac Flexiam deportari voluerat. Illud aurea inclusum theca Princeps Contius, Henrici patruelis, P. Bartholomæo Jaquinotio, Parisiensis Professorum domus præposito tradidit. Lutetia Flexiam delatum est, altera post Pentecosten die. Ad hoc iter delecti Patres viginti, ducibus P. Ignatio Armando Provinciali, & P. Petro Cotonno. Procedebant linteati omnes, prosequente in equis nobilitate. Ut verum Flexiam est, occurrit obviâ longè civitas. Porta, collegium, templa, funebri panno instrata lugebant; dolorem publicum pictæ tabulæ, vultus civium, ora mæsto defixa silentio, loquebantur. Cotonus oratione apposita, quam amor dolorque dictaverant, Regi de se ac Societate tota tam bene merito parentavit.

85.
Patres Societa-
tis de Regis nec
accusari defen-
duntur ab ipso
Ravalliaco.

Extremum hoc regni benevolentia pignus, multorum veterem in nos invidiam stimulavit. Non alios infandi sceleris auctores clamant esse, quàm homines Societatis. Tentatum ab iis olim opera Joannis Castelli parricidium, manu denique Ravalliaci fuisse perfectum. Atenim neque illos, neque alium ullum præter se, auctorem diri facinoris vel conscium, parricida tortus, & excarnificatus, ediderat. Quia tamen se ante sex menses collocutum esse dixerat in templo domus Professorum, cum P. Jacobo Dalbigneo, inde anam accusanda Societatis, & certum, ut aiebant, meditati sceleris argumentum captarunt. Sed reus constantissimè, ad extremum usque spiritum, negavit se ullum cum eo verbum de suo consilio fecisse: aut illi de peccatis confessum unquam esse. Vocatus sæpius in judicium P. Dalbigneus, demum suspicione solutus & periculo discessit. Ut vero Societatis innocentia clarius patèret, jussus à Regina fuit parricidam in carcere convenire P. Cotonus, quem ille intuens, ingemuit; Quia, inquit, adigere me isti volunt, ut Patres Societatis, aut regni Principes, accusem, quibuscum tamen de meo scelere nihil unquam communicavi. Falleris, excepti Coto-

Cotonus : nemo te ad accusandos innocentes adigit ; sed , ut verum aperias omnes hortantur : nec minus effugies sempiternum supplicium celandis reis , quàm innocentibus accusandis . Tum scelestus , lacrymis profusus , detestatus est suum crimen , id quod hætenus ab eo nequiverat obtineri ; & sacerdotem , à quo absolveretur , postulavit . Tu vero , subjecit Cotonus , si prudenti confessario nefarium consilium detexisses , locum dedisses medicinæ animo ægrotanti faciendæ . Cui Ravalliacus : Egone ut illi confessus hoc essem ? accusandus nimirum statim , & neci objiciendus * . Imo , retulit Pater , deterrendus à scelere , servandusque : sic Regi , sic tibi consultum fuisset . Hæc minutatim ex ipsis , quæ in forensi tabulario servantur , Actis exscribere placuit , ut hominum calumnias ac fœda commenta , quæ per Europam latè dissipata tunc fuerunt , gravitas auctoritatis publicæ refutaret .

Et vero nemini probo ac sano veniebat in mentem , adeo perditos fuisse homines Societatis , adeo sibimetipsis iratos atque inimicos , ut quem amantissimum parentem senserant , à quo fuerant restituti , beneficiis & honoribus affecti , de illo nefarie trucidando cogitassent . Sed quod in ipsos cadere non videbatur ; hoc ab eorum doctrina profectum adversarii vociferati sunt . Protulere librum P. Joannis Marianæ , de Regis institutione conscriptum : ejus capita quædam , ad invidiam accendendam idonea , ostenderunt populo , venditarunt senatui . Contendebant ex hoc fonte haustum à parricida consilium perdendi optimi Principis ; hac armatam doctrina profectum impiam in detestandum facinus prorupisse . Atqui , erat is Ravalliacus , qui , si librum hunc legerat , nunquam tamen intelligere potuisset , linguæ Latinæ rudis , & proletarius ludi puerilis in urbe moderator . Habita quæstio nihilominus est . Interrogatus & excussus , planissime & constantissime respondit ne Marianæ quidem nomen , aut librum , sibi notum , auditumve unquam fuisse . Sed cum esset adhuc attonita tanti sceleris atrocitate , Gallia , nihilque non suspicionem ac metum afferret , visa est senatui Marianæ doctrina , ut quidem ab adversariis proponebatur , periculo non carere . Itaque illam Sorbonicis theologis expendendam tradidit : de quorum sententia Marianæ liber ante primariam civitatis ædem combustus est . Additum in edicti clausula erat , ut certis deinceps per annum diebus parochi Sorbonicum decretum è superiori loco recitarent , in templis Parisiis . Ejusmodi clausulâ violari suam auctoritatem ratus antistes Parisinus intercessit , & sanctius Consilium appellavit , à quo rescissa , licet repugnante acriter senatu , & abrogata est : simulque incusata curiæ festinatio in tam gravi negotio . Causa festinandi hæc , ut aiunt , existit . Romanæ curiæ censores , examinandis libris præpositi , damnaverant per eos dies Historiam Thuani , præsidis senatus Parisini . Credebatur id factum opera Patrum Societatis , qui se à Thuano sæpe inclementer tractatos meminissent . Vicem illis reddendam dediti Thuano senatores aliqui putaverunt , libro Marianæ condemnando . Utcumque se res habet , illud in edicto contra Marianæ doctrinam perlato est observatum , quod senatus librum à theologo Societatis fuisse scriptum siluit , neque doctrinam hanc Societatis esse affirmavit .

Par moderatio adversariorum non fuit . Marianam Societatis hominem esse occinunt , doctrinam ab eo litteris consignatam , ab universa tradi Societate : exterminandos patriæ hostes , Regum parricidas . Hoc in circulis ipsi , concionatores in templis , rabulæ in curia , furore tanto spargebant , parum ut absuerit , quin populus ad Patres discerpandos prorumperet . Sapientibus interim injecta cura examinandæ rei , attentiusque ponderandi , num hæc doctrina , qualis ab adversariis prædicabatur , doctrina Societatis foret : hoc enim agebatur unum , hoc adversarii urgebant . Compertum fuit neque à nostris illam tradi doctoribus , quorum verba & sententias breviter ac disertè refert P. Andreas Eudemon-Joannes * ; nomina & locos indicat P. Argentus ** : neque tolerari à Præposito Societatis ; imo indictis , quæcumque sunt in Ordine religioso gravissimæ , pœnis vetari . Objiciebatur ab adversariis Marianæ librum cum facultate Præpositi Generalis editum fuisse . At illum neque viderat Aquaviva , & ubi primum in lucem emissum rescivit , tanquam fetum spurium abdicavit . Jacuisset in ipsis sepultus

L 2 cunis ,

* P. Ludovic. Ribeccom. in Examine Anaconi. c. 49.

86.

Crimen temerè confertur in doctrinam Societatis & librum P. Marianæ.

* In consuetudine Anaconi : G. Paral. Tert. c. V.

** De rebus Societatis in regno Polonie cap. XI.

cunis, nisi hæreticorum diligentia, vel potiùs malignitas, cum in lucem edidisset, Addidere scholia & interpretationes sinistras, quæ defendendi & explicandi Mariana necessitatem viris doctis attulerunt.

87.
Librorum approbatio in Societate, quomodo peragatur.

Nam quod nonnulli clamitabant, constitutum esse nostris legibus, nullum ut librum vulgare nobis liceat sine approbatione Præpositi Generalis, satis intelligere ipsi per se poterant, quæ Societatis in ea re consuetudo, quæ ceterorum Ordinum sit, Præpositus Generalis certos homines constituit, quibus negotium datur ut libros edendos examinent. Iis si liber quispiam non indignus luce videatur, emittitur. Quis autem nescit alia esse, ac perquam diversa hominum aliorum, in singulis fere causis & nationibus, judicia? aliter Hispanos sentire, plerisque in rebus, aliter Gallos: imò nonnullis quædam videri non penitus improbanda, si recte accipiantur, quæ merito à ceteris cautiorebus repudientur: multa excidere inter legendum hominibus, etiam attentis ac prudentibus; quædam negligenter legentibus elabi: addo etiam à scientibus volentibusque prætermitti, fretis fama auctoris & eruditione. Ita liber Mariana, à duobus tribusve doctoribus Societatis approbatus, exierat. Jam, si quis ex eorum iudicio de Societate tota existimare velit, iniquus sit. Quod si unius libri doctrina censetur ideo toti Societati communis, quia editus cum facultate Præpositi Generalis fertur; cur doctrina, Mariana contraria, quæ à tam multis theologis traditur, quorum libri similiter à generali Præposito sunt approbati, non potiori jure communis universæ Societatis dicatur? Sane, cum vulgatur quidpiam istius generis ab aliquo religiosæ familiæ scriptore, nec reclamatur Ordinis moderator, nec publico monumento suam ac suorum mentem declarat, nec merita severitate privati hominis incuriam vel temeritatem coercet; censere tum possis hanc esse communem toti corpori doctrinam. Hic reclamatur Societatis Præpositus Generalis, edit publicum decretum, pœnas imponit, prospicit in futurum. Nam statim atque de Mariana libro ex Patribus provinciæ Francia cognovit*, respondit: *Primum collaudare se studium iudiciumque provinciæ; deinde agerrimè tulisse quod isti libri ante emissi fuissent, quàm ejus rei quidquam ad se deferretur. Ceterum, & ubi primum rem accepisset, mandasse uti corrigerentur; & sedulo daturum operam ne quid ejusmodi in posterum accideret.*

* An. 1599.

88.
Regis & antistitis Parisini testimonium de Societatis innocentia.

* §. XIII.

His animadversis non modo senatus aut Regina nihil acerbius consuluerunt in Societatem, qui si quid profecto cognovissent ab ea tentatum, aut aliquid in ejus doctrina residere periculi; nullas satis graves pœnas expetere potuissent: sed ipse Rex Ludovicus XIII. de matris, principum, ac procerum sententia, comprimendam amplissimo diplomate calumniam judicavit: quo depulsum præsens periculum, & superiorum annorum labe, si qua restabat, penitus absterita est. Illud integrum infra* dabimus, in eorum gratiam, qui veritatis ignari, nobis adhuc, velut in Ravalliaci parricidio deprehensis, insultare non cessant. Addo Henrici Gondii, Parisini antistitis, luculentum testimonium, ut ordinem utrumque regni præcipuum, in hoc negotio idem sensisse appareat. *Henricus Gondius, Parisiensis Episcopus, consiliarius regius. Cum post extinctum nefarii parricida manu Regem, cui Deum propitium ac placatum esse cupimus, plurimi rumores, non sine gravi Patrum Societatis JESU damno, hac in urbe disseminati sint; nos honori Societatis ac fama consultum volentes, intelligentesque non aliunde illos profuxisse, quàm ex odio nonnullorum & malevolentia in eandem Societatem: denunciamus omnibus, ejusmodi rumores meras esse calumnias, & conficta falsò adversus illam crimina, in Catholica, Apostolica, ac Romana Ecclesia detrimentum. Patres vero non modo ab istis sceleribus abesse longissimè, verum etiam ipsorum Ordinem, tum propter doctrinam, tum propter vitæ integritatem, Ecclesia Dei perquam utilem, & huic regno valde fructuosum esse. In quorum fidem &c. VI. Kal. Quint. MDCX. Hæc non edita clam, sed in oculis urbis ac regni proposita: non ab ignotis & obscuris auctoribus profecta, sed ab imperii ac sacerdotii principibus: non precibus data vel gratiæ, cui nullus, in tanti sceleris vel levissima suspitione, fuisset locus; at perspecta veritati & innocentia tributa.*

Rex

Rex eo non contentus, edixit mense Sextili, ut liceret nobis oclusas ab annis quindecim Parisiensis collegii scholas, secundum omnium proborum vota, recludere. Hoc diploma editum à regio Consilio, ne deferremus in curiam, ut in Acta referretur, multi deterrebant, nondum quieta satis & amica tempora existimantes. Aliis contra suadentibus obsecuti Patres diploma offerunt senatui. Responsum est fieri nobis potestatem collegii aperiendi, modo intra sex menses in corpus Universitatis cooptaremur. Rector omnes academiæ Facultates convocat*. Theologica censuit diplomati intercedendum, si Societatis Patres stare legibus academicis abnuerent. Eam conditionem jam ultrò acceperamus. Itaque per nos ac Sorbonam non stabat, quin diploma ratum senatus calculo haberetur. Negotium, confectum ferè jam & expeditum, Edmundus Richerius, ejusdem Facultatis theologicæ syndicus, ut appellant, impedivit. Ille Kalendaris Septembribus doctores sibi addictos cogit, qui numero prævalidi, ceteris frustra obnitentibus, decreverunt ut regio diplomati obnunciaretur penitus, omni conditione sublata: neque ulla collegii referandi copia Patribus fieret. Imo sententia theologicæ Facultatis in ipsius tabularium illata non fuit, syndici ejusdem dolo. Hæretici cancellario libellum supplicem obtulerunt, quo idem atque Richerius, postulabant. E tribus aliis academiæ Facultatibus duæ sententiam secundum nos dixerunt. Nervos omnes interea contendebat rector Universitatis, ut saltem causa præcrastinaretur, donec ultima imponeretur manus cuniculo ad Societatem evertendam comparatò. Evicit ut usque in III. Idus Novembris negotium duceretur. Tunc, repetito post ferias Autumnales foro, prodit Martellerius, adversariorum caudicis. Omnia venena in Societatem spargi solita collegerat, quibus grandem refererat Philippicam, in frequenti recitandam curia. Suam quoque rector Universitatis, eodem tumidam felle, adornaverat: faventibus palam senatus Principe; item Servino, eorumque clientibus. At regina, tumultum verita, causam hanc omitti planè jussit; & instantes undique adversarios coercuit. Academiæ rector ereptam sibi lacerandæ Societatis occasionem dolens, ut aliâ noceret viâ, detulit ad curiam Cardinalis Bellarmini librum *de Summi Pontificis potestate*, quam ab eo proferri longius justo arguebat. Senatus librum damnavit, tanquam opportunum seditioni, & erroribus infectum. Sed Nuntius Apostolicus, apud regium Consilium questus, impetravit ut ne senatus edictum in lucem ederetur.

Ecce autem nova illa machina, in Societatis exitium tanto labore ac tempore comparata; famosus liber, in quo doctrina Societatis, quemadmodum tacito nomine ignotus auctor affirmabat, exponebatur. Titulus libro præscriptus erat, *Anticotonus*. Satyra nempe in P. Petrum Coronom verbo composita, res ipsa, in Societatem universam, quæ per Coronum latus petebatur. In hoc scripto adversariorum invidia, torrentis instar oppositis aggeribus diu retardati, se in omnem maledicendi licentiam effundebat. Appellabatur ab iis Parisini senatus æquitas: magistratum prudentia implorabatur. Æquitate senatus, & magistratum prudentiâ, quam adversarii vehementer & merito laudaverant, factum est, ut bibliopola Calvinianus, malæ mercis institor (quoniam auctorem ipsum libri deprehendere nulla diligentia potuerat) comprehenderetur; exilioque, post multam honorariam, plecteretur. Liber ipse malus, perniciosus, & ad quietem publicam perturbandam appositus declaratur, jubeturque in publico lacerari. Magistratum sententiam Superi confirmarunt. Tres, qui cum Anticotoni auctoribus in Societatem conspiraverant concionatores, dum eadem maledicta auribus civium inculcant, pœnas calumniæ debitas, ac memorabiles, dederunt. Unus Episcopi Parisiensis sententia notatus, & ad populum facere deinceps verba vetitus est: alter profectus Romam; ibi apud sacros Fidei Quæstores insimulatus, atque in vincula conjectus, vitam in luctu per quatuordecim annos productam, in carcere deposuit: tertius, inter parochos Parisienses conspicuus, propter gravissima scelera datus in custodiam; ex ea Genevam elapsus, consenuit in hæresi. At præcipuus Anticotoni artifex, qui manum venalem & stilum inimicis Societatis commodaverat, piam in solitudinem concessit, stimulante conscientia. Ibi dum se

89.

Rex aperiri collegium Parisiense Societatis jubet. Universitas oblectatur.

* Die 23. Augusti 1610.

90.

Anticotonus famosus liber, in quem, per quos, & quo successu, compositus.

se se, ac res Divinas, attentius considerat, calumniæ gravitatem liquidò perspexit, & famæ refarciendæ necessitatem. Itaque Cotonum adit supplex, seque paratissimum offert ad omnia, quæ scripserat, publico instrumento ritè confectò recantanda. Nihil Societati posse videbatur evenire gloriosius. Pœnitentis nomini ac famæ parcitum Dei famulus voluit, etiam cum aliquo detrimento suâ. Consultum innocentia ac veritati satis duxit aequitate magistratum, ac publica denunciatione; sibi relictas vicissim clementiæ ac misericordiæ partes judicavit, reoque culpam agnoscenti, seque ultorem voluntarium offerenti, condonavit. Quid quod statuerat silentio calumnias, & infectantium acerbitatem, vel mitigare vel spernere. Ab ipso videlicet Henrico doctus, ejus generis satyras obesse nulli gravius, quàm ipsarum auctoribus. Nihilominus amicorum hortatu, consilio prudentum, ipsa temporis consuetudine impulsus, eripuit arma calumniæ, atque Anticotono larvam. Confutavit illa primo loco, quæ contra Societatem universæ; deinde, quæ contra se privatim scripta erant. Protulit urbium, provinciarum, judicum, testimonia tam illustria, tam modestè tamque sapienter, ut incertum esset major veritati laus, an ejus humanitati deberetur. Paulo ferocius, nec minus eleganter ac verè, cum eodem Anticotono congressi sunt scriptores plerique partim amici Societatis, partim alumni*, quorum eruditæ dimicationes exstant.

91.
P. Cotonum moderatio, & patientia.

*P. Andréas Eudemon, Joannes & alii.

Quod virulento scripto consequi non potuerant adversarii, hoc ipsum accusatione instituta & civili actione, perficere conati sunt. Captantibus rei gerendæ occasionem hæc oblata est. Præses Thuanus academiæ Parisiensis solitudinem inde potissimum oriri cernens, quòd flos Gallicæ juventutis ad collegium Flexiense concurreret; non aliud huic malo remedium præsentius reperiebat, quàm si collegii nostri scholæ Parisiis restituerentur. Sic enim confidebat fore, ut studiosi adolescentes relicta facile Flexia, præsertim extincto jam Henrico IV. Lutetiam confluerent, ac bona pars illorum desuere ad collegia Universitatis. Igitur P. Cotonum persuadet, ut à Regina postulet regium diploma, quo potestas fiat Parisini Societatis collegii aperiendi. Datum diploma sub finem anni MDCX. & à cancellario ritè obsignatum. Nostri recognoscendum senatui pro more, & comprobandum obtulerunt. Intercessit rector Universitatis, ac tanta mole ad negotium disturbandum cum suis incubuit, ut Socios Parisinos formido non levis incesserit, ne res è sententia non cederet. Quamobrem tempus extractum usque in finem anni MDCXI. Tunc partim hortatu amicorum, partim adversariorum impulsu, in jus ambulare coacti fuimus. Diem enim nobis dixerat academiæ rector, ob edictum regium, ut aiebat, violatum, quo publica Societatis scholæ Parisiis prohibebantur, quia convictores domi nostræ nec paucos nec ignobiles alebamus, licet eos nequaquam doceremus ipsi, sed per externos quosdam magistros curarem erudiendos, & ab omni publica exercitatione absterneremus. Visus tamen criminis color plausibilis; nec tam crimen, quàm occasio in Societatem declamandi, quærebatur. Hanc illis ante paucos menses Regina, ut memoravimus, ademerat: nunc, tumultum graviorem timens, si regiam pertinacibus comprimendis objiceret auctoritatem; nec dubitans quin Societatis innocentia ex his quoque flammis purior emergeret, disceptandæ causæ potestatem fecit.

A.C. 1611.
Soc. 72.

92.
Petrus Martellerius Societatem perorat.

Accusandi partes sumpsit Petrus Martellerius, & incoctam superiorum temporum aceto, salibusque amarissimis, cramben apposuit. Hæc promulsis tantum erat. Postridie graviora fercula intulit per horas quatuor. Addidere veluti fecundas mentas, & bellaria Hardivillerius, Academiæ tunc rector, & Servinus causidicorum regionum princeps, qui biduo toto disseruit frequenti senatu, & sub uno aspectu posuit quidquid in Societatis doctrinam, mores, ac leges invidiosum & acerbum jactabatur. Aderat P. Christophorus Balfasar Provincialis, cum quinque lectis Patribus, & saniem pestilentium orationum auribus demissis bibeat; nec non sinistras multitudinis, quæ ad audiendum undique convolaverat, vociferationes, exturbandam iterum regno Societatem conclamantis. Nihil enim levius ab adversariis petebatur, palam affirmantibus Societatis doctrinam esse liberam.

bertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, ut appellant, inimicam: nec stare cum regni legibus ac theologiæ placitis unquam posse. Et vero urgere non cessabant, ut planè ac disertè Societatis sententiam exponeremus de sigillo & secreto sacræ confessionis, de Pontificia supra Concilium auctoritate, de civili potestate magistratum in clericos, & aliis id genus aliquot invidiosis capitibus.

Senatus Princeps Provinciali significavit ut responderet. Assurgens Provincialis negavit nos doctrinam invehere novam, sed ab Ecclesiæ & academiis catholicis accipere: simul eam è nostris regulis, quæ id apertè jubet, recitavit: ac proinde, inquit, verendum non est ne in istis, aliisve quibuslibet doctrinæ catholicæ capitibus à theologica Facultate Parisiensi dissentiamus: nec per me jam stabit, quin hoc ipsum exaratum scripto, & chirographis munitum nostris, demus. Hæc libera Provincialis & vera vox arma de manibus adversariorum extorsit: iniecitque illis curam aliquid expiscandi ab antistitibus ac theologis, cui Societas non facile subscriptura videretur. At Cardinalis Perronius, & quicumque tunc Parisiis erant præfules doctoresque celeberrimi, ab iis magnopere invitati, ut aliquid de memoratis capitibus pronunciarent; collatis inter se diu multumque consiliis, responderunt secretum sacræ confessionis, & immunitatem clericorum esse de jure tum Divino, tum naturali. Addiderunt, incolumitati Regum pessimè illos consulere, qui docerent infringi posse arcani consignatam sacramento fidem, qua sublata tolleretur omnis & emendandi sceleris, & Principis conservandi locus. Confitentem quippe reum & avocari posse à flagitio, & Principis vitam certis quibusdam rationibus in tuto collocari, tacito nomine parricidæ. Quis autem de crimine læsæ Majestatis confitebitur, si declaratum fuerit, pœnitentem accusari à sacerdote oportere? Denique semel effracto, quacumque de causa, sigillo confessionis, sacramentum ipsum, quod hæreticis in voto est, convelli. Ceteris pariter capitibus responsum fuit ab iisdem, nec non à Cardinali Gonzaga, variisque theologis, summa opinionum consensione, & integritate. Postquam intellectum ac pervulgatum fuit doctrinam Societatis cum tantorum virorum judiciis, cum doctorum catholicorum sententia, cum scholæ Sorbonica congruere, concecit elusus adversariorum livor, calumnia obmutuit. Nihil jam causæ esse dicebatur quin cooptaremur in Academiam Parisiensem; ut ii coalescerent unum in corpus, quorum una mens & doctrina esset. Attonitus exitu inexpectato Martellerius, ut faventem Societati famam opprimeret, satyram suam vulgavit; nec eo tamen plausu lectam aiunt, quo fuerat audita: quæ calumniæ vulgo fors est: fucis pigmentisque oblita placet tantisper, dum novitatis flore vernat; eadem ad solem producta, & hominum jactata manibus, marcescit ac jacet. Sanè Rotomagensis senatus multam irrogavit bibliopolæ gravem, à quo Martelleriana declamatio fuerat edita. Nec levius certos in homines Ambianensis magistratus animadvertit, qui ejusdem satyræ spargendæ in vulgus ac tuendæ provinciam susceperant. Aquitaniæ verò curia bipartita, quæ tunc Neraci confidebat, infame damnavit scriptum, ac bibliopolam ejus diribitorem in vincula conjecit. Neque vero sentire aliter poterat quilibet prudens rerum æstimator, post editam in lucem vicissim celeberrimè Montholoni, qui causam Societatis defendendam receperat, orationem. Ille Regum, Principum, magistratuum gravissima & locupletissima testimonia, ex omnibus Europæ partibus conquesta protulit; quibus tantum addidit splendorem excellentis oratoris eloquentia, ut Martellerii proluxa & veteratoria scriptio exoleverit.

Repressi parumper conatus adversariorum, non penitus compressi sunt. P. Martinus Becanus librum per idem tempus ediderat de sacramento, quod sibi Rex Angliæ dici jubebat, tanquam Ecclesiæ in suis regnis capiti & arbitro. Explicabatur hoc in opere Summorum Pontificum ac Regum potestas, suis quoque discretis limitibus. Inciderat proculdubio ejus argumenti tractatio in alienissimum tempus, licet scribendi necessitatem imposuisset Rex Angliæ merito videretur. Continuo in librum, & ejus auctorem, omnesque Societatis theologos investiti sunt acriter doctores in academia Parisina, & senatores in curia; jamque illum rogo, ut reum violatæ majestatis regiæ destinabant; cum Regina edicto veruit, ne

93.
Quid responsum
à Patribus fuerit

94.
Martini Becani
liber: itemque
Francisci Suaris.
Quid utroque
factum sit.

qua

* Vide Librum
XIII. nu. 98.

A.C. 1614.
Soc. 75.

* Vide illud infra
§. ult.

quā de illo commentario quæstio haberetur. Non tam facile sedata fuit invidia procella, quam è consimili Francisci Suaris volumine nobis adversarii conflarunt. Scripserat Suares, jubente Paulo V. *Defensionem Fidei catholicae & Apostolicae adversus errores sectæ Anglicanae, cum responsione ad Apologiam pro juramento fidelitatis, &c.* * Invisum volumen Jacobus Angliæ Rex flammis addiderat: idemque ut in Hispania fieret, egerat apud Philippum: sed nihil apud regem & nomine & re Catholicum assequi potuerat. Plus in Gallia profecit: & erant ejus votis amica tempora. Multos adhuc habebat hæresis in regno Christianissimo patronos; complures adversarios Societas. Utrique videri gestiebant regiæ majestatis vindices, quam à Suare læsam arguebant. Ut vero hujus criminationis invidiam certius latiusque diffunderent, decerpserunt ex universa scriptione Suaris singulares quosdam locos, quibus, tanquam avulsis à corpore suo membris, atque adeo anima ipsa destitutis, affingi aliena mens & sententia poterat. Truncis ejusmodi partibus in unum arbitrio suo collectis, totâque Franciâ vulgatis, appellat senatum Parisiensem, urgentque ut de toto volumine pronunciet.

Dictæ per biduum integrum in codicem, in ejus auctorem, in Societatem universam sententiæ peracerbæ; aliis censentibus, ut nobis omni nostra functione interdiceretur; aliis, ut quàm latè patet senatus Parisini ditio, ea extruderemur; aliis, ut commentarius carnificis manu discerptus palam in infami rogo deflagaret. Hanc in sententiam denique senatus frequens ivit, liberque publice crematus est, quinto Kal. Quintiles MDCXIV. Nec ita multo post gravissimum contra Societatem senatusconsultum exiit, quod in senatu cum recitaretur iusti sunt adesse Patres Ignatius Armandus, Carolus à Turre, Fronto Ducaeus & Jacobus Sirmondus. Denunciatum illis, ac nostris omnibus fuit ut à sententiâ Suaris, tanquam seditiosa, & regibus regnisque inimica, discederent: illam in templis pro concione insectarentur: libros de hoc scriptos argumento nec haberent penes se domi, nec publice prælegerent: capitale futurum, si quis nostrorum hanc fumeret scribendi materiam aut disputandi. Demum edicebatur, ut quotannis, pridie Nonas Junias, in Parisiensi collegio senatusconsultum publicè legeretur. Abunde jam provisum fuerat à Præposito Generali Societatis tractarentur à nostris scriptoribus hujus generis argumenta, è quibus vulgo nihil emolumenti, detrimenti vero plurimum oritur & invidia. Exstabat editum ante annos quatuor super ea re decretum*: quod in Hispaniam tamen & Lusitaniam perlatum non erat, quia nulla ibi lis ejusmodi movebatur: utque decretum Aquavivæ à Patribus Gallis fuerat procuratum, sic ad eos propriè pertinere putabatur. Hoc decretum postquam Parisinis senatoribus Patres obrulere, laudata est enimvero Generalis Præpositi prudentia, sed imperatum severè Patribus, ut idem decretum ab Aquaviva instaurandum, ac toti promulgandum Societati curarent; iisque declaratum, fore ut Galli luèrent, si quid in hac parte ab exteris deinceps peccaretur. Haud parum ad mitigandam curiam valuit conscripta defensio Societatis primùm à P. Ludovico Richeomo, quam ipsi adversarii laudaverunt: deinde à Joanne Perronio, Cardinalis Perronii fratre, ac regio consiliario. Denique patrocinium ejusdem à Paulo V. susceptum. Qui, cum injustam Suaris libro notam, suum quoddam dedecus interpretaretur, graviter apud Regem & Reginam conquestus, enixè institit uti senatus decretum de Suaris libro editum antiquaretur. Et commodùm Pontificii Nuncii munereungebatur in Gallia Robertus Ubaldinus, Leonis XI. sororis filia genitus; præsul, ob exquisiti iudicii ac sapientiæ laudem, par fama suæ; & sacra, quam deinde adeptus est, purpura jam tum dignus. Is pervicit ut senatusconsultum irritum a Rege fieret. Quo tanquam aggere licet inhibitus fuerit inimicorum ardor, qui de Societate iterum regno pellenda conspiraverant, non tamen incepto destitit.

Grassari ad ejus perniciem occultiore via decreverunt. Procludunt igitur quandam jurisjurandi formulam, cujus in verba Galli omnes jurare cogerentur. Hanc ita compositam esse plurimi graves & docti viri judicabant, ut per speciem tuendæ regiæ dignitatis, religionem ac summi Pontificis auctoritatem labefactaret: nec dubitabant adversarii à Patribus idcirco repudiandam, ex quo certissimum illis peri-

periculum creatum iri confidebant. Formulam in comitiis regni, quæ tunc Parisiis habebantur, proponere constituunt. Sed cum metuerent ne omnium Ordinum suffragiis non probaretur, eam ordini infimo, qui è populo constat, nec tam acutè ac subtiliter de rebus ad religionem pertinentibus judicare solet, obtrudendam curaverunt. Spes illos sua non fecellit. Probavit populus formulam, ac ratam habuit. Triumphabant tanto præjudicio freti. Omnes conatus adhibent apud nobilitatem, & apud antistites, ut suffragium utriusque illius ordinis obtineant. At mutata brevi scena spes iniquas delusit. Sapientissimis præsulibus visum est indignum facinus, inventos esse qui auderent in sanctissimo confesso attentare integritatem religionis, & novarum architectis opinionum patrocinari. Quare non modo rogationi obstiterunt, sed Cardinales Surdus & Perronius, quæ erant eloquentia & eruditione, gravissimis verbis pro religione, & pro Summi Pontificis auctoritate perorarunt. Cum ceteri præsules sacerdotesque doctissimi apud Regem in aula; in templis apud populum eodem modo differerent, plerique ex illo tertio comitiorum ordine dedocendos se præbuerunt. At Servinus, qui primas in hac tota tragœdia partes agebat, senatoribus auctor fuit, ut edito statim decreto, jurisjurandi comprobarent formulam, atque ita fluctuantis populi consensum præsentis auctoritate firmarent. Ergo senatusconsultum tumultuaria suffragatione concipitur, & spargitur in vulgus, ut populari velut sancitum voce, comitiorum approbationem extorqueret. Inceptum audax tulerunt iniquissime præsules ac nobilitatis ordo: eoque violatum jus comitiorum questi sunt, quæ dum habentur, senatui promulgare nihil licet. Suas ad Regem querelas detulere, illumque sunt precati, ut senatusconsultum æterna oblivione deleteretur; ut interdictum curiæ foret in posterum omni cognitione rerum ad religionem spectantium; ut Servinus gradu moveretur. Audivit omnia Rex perbenigne, ac diplomate dato, integram hujus causæ cognitionem sibi reservavit: sed cum altercatio ingravesceret, solvit comitia & senatusconsultum abrogavit*. Idem secundissimis auribus accepit perhonorificum de Societate testimonium, quod in comitiis dedere Clerus, & Nobilitas. Nam inter cetera, quæ Regi obtulerunt, postulata, enixè supplicarunt uti non modo restitueretur Parisinum Societatis collegium, sed ut per universum planè regnum liceret nobis novas ducere colonias, & omne genus nostrarum functionum liberè obire: utque Rex contra infestas adversariorum molitiones regia nos auctoritate, ac solita benevolentia tueretur.

95.
Constatum Patribus periculum è juramento quodam Fidelitatis, &c.

* Mense Martio 1615.

Antequam comitia solerentur, in quibus Societatis vexabatur doctrina; ejus mores & Institutum, is qui minimè debuisset, oppugnavit. Guillelmus Pachelinus, octodecim annis inter nos versatus, cum ad solennem quatuor votorum professionem non admitteretur, desciverat à Societate. Nactus inde ad malevolorum aures aditum, turbidisque temporibus lætus, lacerare famam illorum aggressus est, quorum acquitatem graviter ferebat. Itaque, adicito Theophili Eugenio nomine, librum evulgavit, quem *Protocatastasm*, sive, de primâ Societatis Jesu institutione restauranda, inscripsit, ac Pontifici Maximo ceterisque Orbis Christiani Principibus dedicavit. Contendebat veterem Ordinis nostri disciplinam penitus corruisse; revocandam pristinum in statum: & hæc istius reformationis proponebat capita. Ut nostri omnes solennem votorum quatuor professionem ederent: Ut psalmi à nobis in templo concinerentur: Ut ne arcana sacræ scientiæ, vel naturæ, traderentur in scholis nostris, sed rudimenta duntaxat Christianæ doctrinæ pueris ac rudibus explicarentur: demum ut nomen Jesu Societati eriperetur. Librum ita conscriptum, & multo conditum felle, comitiorum ordini tertio proposuit, usus ea, quæ comitiorum tempore fiebat omnibus, potestate deferendi quæ in publicam rem esse viderentur. Fetum informem produxit Servinus: cujus verbis nonnulli in fraudem inducti, Pachelinum tutabantur. Sed ordo nobilium, itemque præsulum, reprobata populi approbatione, rejecit opus maledicum, & P. Ludovicus Richeomus ineptum correctorem erudito scripto correxit, detectis, quibus liber scatebat, erroribus. Denique à sacris Romæ cen-

96.
Guillelmi Pachelini Protocatastasis quem fuerit exitum sortita.

foribus infamia notatus deformis ingenii partus, legitimeque vetitus, non ultra ortum vitalis fuit.

Non tamen deterritus insperato successu prolis abortivæ parens, aliam edidit scriptionem, sed horoscopo non feliciore natam. Ponebar hoc in libri fronte tanquam certum, Societatem Jesu perniciosam esse mortalibus: deinde rationem docere se profitebatur & modum ejus cohibendæ tractandæque, ita ut, quoniam ne nihil ex ea damni caperetur omnino fieri non poterat, minimum certe caperetur. At urbis Parisinæ prætor sobolem insulsi obtreptatoris in ipsis typographi cunis præfocavit; inque auctoris nomen & mores inquiri jussit: qui, ut innocentia, sic impunitati diffusus, clam in natalem Burgundiam profugit, ubi pœnam timens respuit, & cum Societate rediit in gratiam; cui moriens bibliothecam non contemnendam testamento legavit; ut damnum illi pravis libris illatum, melioribus compensaret.

97.
P. Joan. Suffrenus
Reginæ à factis
confessionibus.

Regina sedatam, uti prospexerat, tempestatem, & laudatam amplissimo comitiorum scripto Societatem gratulata, Patrem Joannem Suffrenum, eloquentia ac virtutis fama insignem, delegit, quem audiret concionantem, & cui arbitrium conscientia suæ deferret. Quod ille munus viginti & sex annorum spatium præclare gessit. Patrem vero Marguestandum Elisabethæ filia suæ, Philippo Hispaniæ Principi desponsæ, confessionibus audiendis adscivit: denique P. Cottonum, missionem ab aula enixè flagitantem, a filii sui latere discedere vetuit.

Locus hic erat apponendi quædam instrumenta, & litteras ad causam Societatis in Gallia spectantes: fatius visum est eas, cum aliquot aliis ad Transilvaniam pertinentibus, in hujus duodecimi libri calcem rejicere.

§. VI.
SOCIETAS URBIS
VENETORUM
CEDERE COACTA.

DECEM anni fluxerant à Societatis in Gallia clade, cum aliam accepit in Italia haud sanè minus acerbam; quippe illatam à Venetis, quibuscum arctissimis conjuncta vinculis semper fuit. Nimirum in Serenissimæ Reipublicæ tutela, patrocinio, ac prope sinu, natam se meminit. Jam tum ab anno MDXXXVII. Ignatius, Xaverius, alique primores eorum socii, Venetis in urbibus ostendere cœperunt Orbi Christiano, quinam ipsi per se se, ac per suos deinde successores futuri essent. Ipse Societatis parens Venetias tunc ingressus, & à senatore clarissimo Marco Antonio Trivisano perhonorificè acceptus, obstrictam isto quasi pignore, civium nobilissimorum benevolentiam in suos habuit. Non destiterunt ejus alumni annis consequentibus Serenissimam Remp. colere omni officio, nec sine summo dolore hujus anni MDCVI. meminerunt, quo suavissima illa vincula, si non abrupta penitus, at interrupta quodammodo sunt; arctius deinde tamen & suavius colliganda.

A. C. 1606.
Soc. 67.

Paulus V. violari libertatem Ecclesiasticam arbitratus, & Sedis Apostolicæ jura infringi nonnullis Venetorum legibus, aut recens promulgatis, aut renovatis, quæ ad sacerdotum bona & cœnobiorum spectabant: nec non, quod canonicum Vicentinum, & Nervesæ abbatem, ob gravia quædam delicta pertraxissent ad judicium senatus, & canonicum etiam in carcerem conjecissent; illos curaverat monendos, ut istas abrogarent leges, & canonicum abbatemque Ecclesiastico foro restituerent: sin minus, communionem fidelium prohibendos, & eorum regionem sacrorum interdictione multandam denunciaverat, certo tempore constituto: is dies XV. Kal. Majas anni MDCVI. erat. Veneti reclamant acriter, & diuturnam Reipublicæ consuetudinem, aliquot regnorum exempla, opiniones doctorum & scripta opposuere. Statimque studia theologorum exarserunt, hinc pro Summo Pontifice, inde pro Venetis dimicantium: ac paucis mensibus tot lucubrationes prodire, ut Societatis theologus*, qui earum texuit indicem, testetur octo & sexaginta in suas unius manus pervenisse. Neque vero tantæ controversiæ otiosa spectatrix Europa fuit, aut litteraria duntaxat paravit armam: ingentem exercitum Hispania obtulit, ad Ecclesiæ tutandam, ut aiebat, auctoritatem: adversas cohortes Reipublica strenuè conscripsit. At Cæsar bello districtus Pannonico; Galliæ Rex vixdum emerfus ex intestinis bellorum civilium fluctibus; Italiæ Principes vicinum incendium pertimescentes, pacem, missis oratoribus & legatis, componere laborarunt. Hanc Veneti sapienter invidioso bello præ-

98.
Veneti à Paulo
V. interdicto feriuntur.

* P. Jacobus
Gresserus in Con-
siderationibus ad
theologos Venetorum.

preferendam rati, querelis Romanæ curiæ per suos oratores respondere studuerunt: at Pontifici non satisfecere. Quamobrem die constituto, vocatis Cardinalibus, graviter de Republica conquestus; renunciavit sibi deliberatum esse illam interdicto subjicere. Promulgatur edictum, & solitis in Urbe locis affigitur. Summa edicti erat: Nisi leges abrogarentur, Venetos Fidelium communi-
ne prohiberi, post elapsos dies 24. & aliis tribus transactis, eorum regionem interdicto Ecclesiastico multari.

Veneri, ut hujus fulminis declinarent ictum, triplicem velut aggerem obje-
cere. Primò Superos hominesque contestati, denunciarunt sibi rarum esse ac fixum, avitam, Apostolicam, & catholicam religionem, nec non consuetum in Pontifices Romanos obsequium, majorum exemplo retinere. Deinde, ne quid in Divinis Officiis & solito religionis cultu in urbibus mutaretur, veterunt: ne se, si secus facerent, reos, & Rempublicam noxa obligatam fateri viderentur. Postremo, satis gnari quàm sanctum & concitandæ multitudini opportunum sit religionis nomen, quo uno satis armatum se populus ad quidvis audendum putat; efficere tentaverunt, ne quæ permaneret Venetias, aut in ullam ditionis suæ partem, excommunicationis lata Romæ lex: aut certè, quoniam id sperare vix licebat, ne quis illam promulgaret. Itaque XIII. Kal. Majas prima luce parochi omnes; sub vesperam autem, præfides religiosorum Ordinum, à tribus è collegio Decemvirum delectis, quibus demandatum erat id negotii, vocantur; ac proposita capitali pœna prohibentur promulgare quidquid adversus Rempublicam, quocumque modo in eorum manus venerit. Jubentur præterea omni ratione providere, ne quid ejusmodi cœnobiorum portis vel parietibus templorum affigatur; ac si quid fuerit affixum, avellere statim ac resigere.

Hæc mandata quin Ordinum religiosorum alii moderatores essent accepturi minimè dubitabant: de Societatis hominibus cura suberat non levis; quos aliqua valere apud cives auctoritate intelligebant; ut quam in partem essent inclinaturi, multos secum possent impellere. Eisdem norant, in capeffendis præsidum suorum imperiis, cæcam veluti obedientiam profiteri: neque dubium erat, quin illis jussa haud mollia brevi à Romano Pontifice, & à Præposito Generali Societatis perferrentur. Itaque, cum ex iis, qui aderant, religiosi viris, quidam propiores voce, remotiores alii nutu, se facturos imperata respondissent: conversi subito sunt omnium oculi in Patres Societatis, qui cum P. Bernardino Castorio, præposito domus Professorum, adstant; & unus è Decemviris, intendens vocem, Statis etiamnum taciti? ait. Quid animi vobis tandem est? Omnino, retulit Præpositus, certum nobis ac deliberatum est præstare quidquid effici poterit, quo Reipublica tam bene de nobis meritæ satisfiat. Cui Decemvir. Apage, inquit, istud quicquid effici poterit: postulamus ut id efficiatur quod modo hic audivistis. Minitantem & plura dicere parantem lenivit Præpositus, addens nihil omissum iri, quantum in se ac suis esset, ut mos Reip. gereretur.

Ex hoc primo velut procellæ impendentis fragore intellexerunt Patres, quantæ periculi moles immineret. Placuit igitur Patrem toti provinciæ præpositum, Ferrariæ tunc degentem, admonere: & quia parum tuta fors litterarum erat, exploratoribus portas omnes & vias obsidentibus, ad eundem allegatur XI. Kal. Majas P. Antonius Muffonus, qui coram doceat quid agatur, quid timeatur. Metum auxerant minæ per idem tempus à senatu Episcopis intentatæ, ac præsulibus, si Divina Officia intermitterent, ac novari quidquam paterentur. Afferebat nobis dubitationem gravissimam, si cedendum urbe foret, præstaretne id sponte facere, an expectare dum exeundi necessitas imponeretur: tum, si venia discedendi peteretur, an esset à senatu concedenda: denique si daretur exeundi locus, an patèret aliquis in posterum redeundi. Obscra-
bant amici Societatis, ne quid per imprudentem impetum peccaremus: accepto tanto vulnere, locum remedio vix fore: standum esse, dissimulandum, necessitati serviendum. Quippe in detrectantes obsequi non leniter animadversum iri apparebat, ac præsertim in homines Societatis, quos hoc in negotio alii respectabant; & quorum crimen, gravius duceretur, quia gravioris exempli. Interim urbs metu, suspencionibus,

99.

Religiosorum familiarum præfides vetantur morem generis Pontificio interdicto, ac præcipuè Patres Societatis.

100.

Patrum angustia ac metus. Urbis trepidatio.

rumoribusque suspensa fluctuabat. Quid enim acrius mortalium animos commoveret, quam Religionis discrimen? Trepidæ ferebantur per populum voces, & ple-ræque nobis funestæ. Dicebatur P. Antonius Possëvinus Nuncium Apostolicum, à quo frequens arcessebatur, ad deteriora flectere consilia, quamvis de concordia unicè cogitaret; ita ut ab eo visendo temperandum Possëvino fuerit. Excubiæ ad omnes nostrarum ædium aditus dispositæ, quis accederet recederetque observabant.

101.
P. Barifonius
Romam Ferraria missus mandata Pontificis cum litteris Præpositi Generalis accipit.

Ecce autem quarto Kal. Majas adest expectatissimus P. Muffonus. Circumstant illum nostri, avidi rescire quid portet. Renunciabat P. Provincialis promulgatam excommunicationem Romæ quintodecimo Kal. Majas: quæ vim tamen suam nisi post dies quatuor & viginti non esset habitura: discederet, si esset integrum, & Ferrariam se recipere: si non esset integrum, Sedi Apostolica parerent; & interdictum, quovis proposito periculo, servarent. Addebat profectum, jubente se, Romam P. Antonium Barifonium, collegii Ferrariensis rectorem, qui responsum Præpositi Generalis enucleatius referret. Mittendi Romam P. Barifonii causa hæc fuerat. Provincialis fasciculum è Romana Professorum domo acceperat, in eoque litteras Præpositi Generalis, & Procuratoris Generalis Societatis: item excommunicationis exempla quinque, cum mandato Summi Pontificis, ut ad Societatis domicilia confestim mitterentur, ibi publicanda & foribus affigenda. Provincialis certior factus quid actum Venetiis fuisset, ac ne quid malè festinaret metuens, P. Barifonium continuo Romam irijusserat, ac docere Aquavivam quem in locum res adducta esset. Romam attingit Barifonius III. Kal. Majas. Rescripsit eodem die Aquaviva: ejusque responsum Ferrariam perlatum, & Provinciali redditum est III. Nonas Maii. Responsi caput erat, si Bullæ promulgandæ facultas nulla esset, velle ac jubere Summum Pontificem, ut saltem interdicto plane obtemperaremus. Exemplum litterarum Præpositi Generalis conficiendum statim Provincialis curavit, quod primo Patavium, deinde Venetias per PP. Hieronymum Saravallam & Angelum Orimbellum, quanta maxima fieri potuit celeritate delatum est. Antequam Aquavivæ responsum Venetias perveniret, decreverant Patres Venetæ domus, auditis quæ P. Muffonus retulerat, interdicti legem servare, si manendum in urbe foret: abire, si liceret: moras tamen consulto ducere, ne perduellionis quoddam signum extulisse festinato discessu viderentur: & adhuc tredecim, quatuordecimve dies ante præstitutum tempus restabant. Per eos dies tentata variè constantia Patrum fuit.

102.
Patres arcessuntur à Duce Venetiarum.

Ac primo quidem IV. Kal. Maii accitus à Decemviris Præpositus domus Professorum, audivit Leonardum Donatum Ducem Serenissimæ Reipublicæ, iterantem gravioribus verbis eadem quæ ante decem dies edixerat, & vetantem præterea ne privatim vel publicè, disserendo vel disputando, in controversiam vocaremus causæ æquitatem, quam Veneti pro se stare habebant omnino persuasum. Respondit, accepta dicendi venia, Præpositus non esse nostrum interponere nos in Principum causas, & eorum jura disquirere; id legibus Instituti nostri sanctè veritum. Ita se porro, suosque comparatos ad unum omnes esse, nullum ut laborem, periculum nullum defugerent, quo Serenissimæ Reipublicæ fidem suam & obsequia probarent. Hic ab aliquo, ut clarius loqueretur admonitus dicitur: perrexitque Dux hortari, ut ne quid in nostrum temerè caput strueremus; ut quæcumque intercederet Bulla, quocumque significata modo, non cessaremus Divinis defungi pro more Officiis: si contra fieret, haberemus pro certo eas expetitum iri pœnas, quæcumque possent imponi nobis acerbissimæ.

Subjecit Præpositus se, ut rebatur, satis clarè ac sine ambagibus dixisse datum iri à nobis operam, ne conqueri de Societate, aut ejus desiderare fidem Resp. jure posset. Curatum hæcenus domi nostræ, ut ne inter nos quidem sermonem de istis, qui civitate percursabant, rumoribus misceremus: in id unum singulos incumbere, ut pacem à Superis præcatione crebra, & ceteris, quas adhibere pietas religiosa solet, artibus exposcerent. Rogavit postremo Ducem Serenissimum, ut ne pronas obreçatoribus præberet aures; ac si quid incidere-
quere-

querelarum aut suspicionis de quopiam nostrorum, facere se certiore ne gravaretur. Non placebat hæc oratio, licet honoris & officii plena. Instabant ut negaret quidpiam distinctius aut affirmaret, atque ad proposita capita pressius accederet. Aliud exprimi nihil potuit; & irati frementesque discessere. Implevit urbem frigidus extemplo rumor, & malevolorum odia succendit, studia restinxit amicorum. Insecta Patribus sollicitudo vehementior, omnia in dies acerbiora fore judicantibus. Et quoniam P. Antonius Posssevinus erat spectatæ prudentiæ, & hujus negotii cumprimis gnarus, optimum factu visum est, ut Patrem Provinciale, imo P. Claudium Aquavivam adiret, ac doceret quàm ancipiti ac periculoso loco res tota versaretur; proponeret etiam nonnulla, quæ dubios varias in sententias nostrorum animos distrahebant. Fluxere dies aliquot inter hos timores. Nihil ab Urbe litterarum: & jam Venetiis increbrescebat fama, nos ab Aquaviva jussos confestim excedere: nec levis oborta est suspicio interceptam Præpositi Generalis epistolam, Indicia concurrebant non pauca; & erant qui lectam in secreto senatorum, quos Rogatos vocant, confessu dicitarent.

Id magis ut crederemus fecit scriba Serenissimi Ducis, qui domum Professorum III. Nonas Maii prope ingressus Præpositum vocat, & in remotum ab arbitris locum seducit. Deinde profert è sinu chartam, ac recitat. Rogavit Præpositus ut exemplum sibi chartæ traderetur. Negavit scriba id licere: non recusaturum quin legeret, quoties vellet: scripti copiam fieri aliam non posse. Questus mandati acerbiter Præpositus, iterum ut legat perit, memoriæ imbecillitatem excusans. Tum scriba: Quid Serenissimo Duci respondere me jubes, ait, ac senatoribus illustrissimis, à quibus ad te sum missus? Sanè, retulit Pater, scriptum istud, à viris, uti sunt, prudentissimis exaratum ante non est, quàm fuerit maturè pensitatum. Exemplo sunt quid facere me oporteat, tanto ipsis prudentiâ inferiorem: illos imitabor, & spatium deliberandi sumam; quod confido mihi facile concedendum, pro rei gravitate. Scripti capita erant quatuor. Primum: Ducis ac Reipublicæ nomine religiosi omnibus significabatur, eos qui morem gererent, benigne habendos, & in tutela præsidioque Reip. futuros. Alterum: Jubebantur rem, ut prius, divinam facere, & sacramenta ministrare. Tertium: Si quis obsequi detrectans mallet discedere, fiebat copia exeundi; sed spes omnis adimebatur aliquando in Reipublicæ urbes redeundi. Quartum: Qui animum inducerent abire, perferberent nomen suum, cognomen, & patriam; nihil è cœnobio vel ade sacra secum asportarent. Sequenti luce, P. Bernardinus Castorius cum Patribus delectis Ducem convenit, & pauca de Reip. promeritis in Societatem, de nostris erga illam vicissim obsequiis præfatur. Inde ad singula capita delapsus, partim gratias agit, partim pollicetur obsecurum se ac suos, quantum fieri officio salvo poterit.

Dux contra pluribus verbis Reip. dignitatem, & beneficia in Sedem Apostolicam prosecutus, graviter de Summo Pontifice exposulavit; ac demum eo devēnit, ut explicatius à nobis aliquid dici juberet. Nihil suppetere, quod apertius loqueretur, Præpositus respondit: facturum id se fortasse, si Pontificium diploma perspectum haberet; illud vero neque se vidiisse usquam nec legisse; atque adeo distincte ac nominatim pronunciare nihil posse. Si res ita se habet, subjecit Dux vehementer admirans, per me non stabit quin illud jam audiatis: & summa capita Bullæ recenset, irritamque multis argumentis docere conatur; ac tandem concludit, inde nos perspicere quid consilii capere debeamus. Respondent Patres, tandiu se in ejus ac senatus potestate mansuros, quandiu salvis conscientiæ legibus liceret. Ibi Dux Serenissimus ita se plane censere dixit; nec vero id agere, ut quidquam admitterent contra religionis pictatisque leges, quas haberet Respublica Veneta, semperque habuisset primas & antiquissimas, ut ipsi testes idonei ac loquaces erant. Addidit multa, cur senatui repugnare Societatem, tantis nominibus illi obstrictam, non deceret; nec dissidere ab aliis Ordinibus religiosi, quos in eandem cum senatu conspirare mentem aiebat: indictam capitis poenam non obsequentibus: id causa satis esse cur tuta conscientia in urbe maneremus: leges enim Ecclesiasticas proposito tam gravi periculo neminem obligare, ut in-

con-

103.
P. Anton. Posssevinus Romam mittitur.

104.
Mandata per scribam publicam à Senatu data Patribus. Eorum responsa

confesso apud theologos omnes erat. Cum Patres tacere nihilominus pergerent, Referam, inquit, ad senatum. Videte quid agatis: semel egressis regressus non dabitur. Quod si, ut sentio, perstatis obstinatè in consilio discendendi, præstiterit maturare, dum licet. Ad hæc Præpositus, nostri nos arbitrii ac juris non esse respondit, quippe religiosi restrictos votis. Oravit spatii paululum, quo certiores facere præsides Societatis, eorumque iussa posset capessere: hæc ubi primum essent cognita, nullam interpositum iri moram, quin ea candidè renunciaret. Hac ipsa die ingens ad nos concursus amicorum, nobilitatis, & principum feminarum est factus, obtestantium ne plagam immedicabilem toti Societati deterioribus consiliis inferremus: quod si fixum nobis esset publica vota spernere, saltem ut ne dierum paucorum negaremus moram: nihil in mora periculi esse, nihil damni. At senatus vehementer nostra cunctatione ac pertinacia (sic enim loquebantur) commotus, per complures continenter horas sedit, quid agendum esset deliberans: fuitque tunc, ut fama est, agitatum ne, si recederemus, liceret cuiquam de nostro reditu Remp. interpellare; aut ea de re mentionem unquam in senatu facere.

105.
Pontificis mandata cum litteris Præpositi Generalis Venetias perferuntur.

Summo erant in metu ac trepidatione Patres, quid responderent, si rursus arcesserentur. Jam enim res in longum duci responsis generalibus non posse videbatur: cum subito, Nonis Maii, inclinante in vesperam sole, PP. Hieronymus Saravalla, & Angelus Orimbellus, litteras à Præposito Societatis scriptas III. Kal. Maii, nomine ac mandato Pontificis, attulerunt. Præcipiebat Pontifex disertis verbis ut Bulla, præsertim ea parte quæ interdictum spectabat, sanctè à nobis observaretur; neque ullus esset cuilibet prætextui, excusationi, aut argutiis theologici locus. Si potestas interdicti servandi non fieret, abiremus *excutientes pulverem pedum nostrorum*: daturum se operam, ut nostræ nos obedientiæ nunquam pœniteret. Sin autem egressus obstrueretur, eligeremus mori potius quam peccare. Mentio fiebat in litteris Patris Præpositi Generalis, de quadam epistola, quam à se scriptam affirmabat IV. Kal. Majas: eamque ipsam interceptam fuisse creditum est*. Adjunctæ Provincialis litteræ his erant: hortabatur ut quæ jam haberent explorata, fortiter exequerentur; nonnulla præscribebat nominatim; cetera prudentiæ Præpositi permittebat.

*Supra num. 103.

106.
Variæ Patrum sententiæ de responso Senatui dando.

His acceptis, depulsa utcumque fuit sollicitudo, propter apertam significationem Pontificiæ voluntatis. Sed, ut accidit in malis, quæ longe prospecta levius; vicina & impendentia gravius permovent; rursus curæ, rursus perturbatio. Ac sanè restabat unus multò difficillimus ad explicandum nodus, quemadmodum alloqui Ducem ac senatum oporteret. Locus circuitioni & ambagibus nullus erat; tacere periculosum; apertè missionem flagitare acerbissimum nobis, quos cum carissimis civibus necessitudo vetus, pietas, beneficia, conjunxerant. Nonnulli è Patribus censebant adhuc procrastinandum; incidere mutationem aliquam posse; rumorem increbrescere de concordia brevi revocanda: nonnihil à P. Possevino, Romam ante dies paucos profecto, fortasse impetratum fuisse, quod scire interesset. Alii ad interpretandam summi Pontificis voluntatem decurrebant. Mentem hanc illius negabant esse, ut vellet obtemperari tanto cum detrimento: nequaquam ipsum molestè ferre posse, nos tot religiosorum Ordinum novissimos, ab iis exemplum sumere. Anxius super his P. Castorius, ac durior in partem inclinans, cum potuisset mitiori fortasse via rebus agris consulere; nostros unum in locum convenire jubet; quid agatur exponit: vocari jam in dubium Summi Pontificis voluntatem non posse: nostrum esse cunctis planum facere, quanta debeatur auctoritati summæ reverentia: tempus extractum hæcenus fuisse, datis univèrse ac modeste responsis, ne quid præcipiti temeritate, nondum compertis rebus, peccaretur: nunc propalam tuendas officii & obedientiæ partes. Monet deinde omnes ut intentiore cura pacem Superùm exposcant, & animos obfirmant ad excipiendum fortiter vulnus, quod eorum nemini non posset accidere peracerbum: sustentarent se fiducia Numinis, & mentis optimæ conscientia: non defuturam servis suis benignitatem præpotentis Dei, cui se suaque dudum devovissent, & cujus unam in hoc luctuosissimo casu voluntatem gloriamque sequerentur.

tur. Nec sum, ait, nescius quantum impendat periculi, si responsum diutius differamus, video nobis exitum, qui nunc patet, occludi posse: nihilominus, ne quid mihi obijciatur; ut amicis satisfaciam; ut nonnullis vestrum obsequar; usque in diem IV. Idus, quo litteræ huc Româ perferri solent, præstolabor: si nihil interea novi accidat, statim atque Ducem ac Senatam allocutus fuero, demigrabimus.

Triduum totum, quod à die septimo ad decimum excurrerebat, exactum est in summo spei ac timoris æstu. Sperabatur aliquid foris, quo res ad concordiam adducerentur: timebatur intus à senatu, qui detrectantibus imperium graves irrogaturus pœnas narrabatur. Quicumque nostram inibat domum, aut nuncius putabatur novæ cladis, aut nostræ voluntatis explorator habebatur: nec temere creditum de nonnullis. Non omittebat vicissim Præpositus prudenter investigare quid senatus ageret, quid caperet consilii. Eam ob causam Regis Franciæ, ac reliquos aliorum Principum oratores adiit: quos magnam partem longè aliter, ac res erat, de hoc negotio edoctos comperit. Miratus præ ceteris orator Galliæ, Præpositum rogavit ut ad se redire postredie non molestè ferret. Rediit, ac diutius cum eo differere coactus est, licet invitus: cum negaret sibi tutum esse, ac rebus nostris opportunum, abesse tandiu domo: expectari nuncium in horas à senatu. Dum hæc maxime loquebatur, adest anhelus à Patribus famulus, desiderari Præpositum nomine senatus monentibus. Advolat, cum bona oratoris venia: sed apparitor abfecerat, brevi se reversurum dicitans. Haud sine Numine rem ita contigisse paruit. Suspiciatus Præpositus, id quod erat, venisse nimirum apparitorem, ut mandata, quæ minime optabamus, ferret; exitumque nobis antea oblatum præcluderet, antevertendum judicavit. Vocatis itaque raptim Patribus primariis, decretum uno consensu est, ut priusquam rediret apparitor, Dux à nobis moneretur quæ acceptæ litteræ, quid captum consilii. Præpositus ad eum intromissus verba facit: Venit domum nostram apparitor, dum abessem; credo, inquit, ut resciret numquid à Præposito Societatis litterarum accepissemus, & quæ staret nobis sententia. Perlatæ sunt, expectata tandiu Præpositi Generalis litteræ, & mandata Summi Pontificis: jubemur interdictò morem profus gerere: certum est nobis obedire, proposito quolibet, etiam capitis, periculo. Una mihi, ut istud sine circuitione declararem, huc veniendi, quemadmodum promiseram, causa fuit. Dux ad hæc placide subjecit, se, quamvis Republicæ caput esset, nihil decernere tamen solere majoris momenti, sine procerum consilio: monendos illos, & quid censerent auscultandum. Atenim, inquit, non audivistis hodie quæ data fuerint vobis, eorundem jussu ac nomine, mandata? quid illi de vobis constituerint, satis cognoscere potuistis. Negavit Præpositus sibi quidquam, senatus verbis, recens denunciatum fuisse: ceterum in se nihil esse moræ quominus eadem, quæ ipsi modo significaverat, ad frequentem senatum referrentur. Tum vero Dux mirari se dixit Præpositi Generalis consilium, & Patrum desiderare prudentiam, qui ducerent pro nihilo Remp. destituere, & in æternum exilium proficisci. Responsum non sine mænore fuit, primam obediendi laudem religiosis viris & curam esse; non debere clarissimos senatores gravatè ferre, si eam præsidibus nostris obedientiam præstaremus, quam ipsimet à suis popularibus exigerent: nostrum non esse disceptare aut condemnare latam à Vicario Christi sententiam: relictas nobis duntaxat obsequii partes: communem hanc imponi omnibus, qui sub aliena potestate sunt, legem; quæ si tollatur, discindi mortalium inter se concordiam, perverti jura omnia; nec privatam rem duntaxat singulorum, sed publicam, & ipsorum Principum dignitatem auctoritatemque convelli. Nullis parvitum laboribus, quandiu illis uti Reip. visum esset: nihil optatius in posterum fore, quam operam eidem, quantamcumque possemus, navare, quatenus leges divinæ paterentur, quibus humana omnia, uti decebat, posteriora duceremus. Neque vero nescire nos quam gravem plagam acciperemus: hanc tamen tanti non fore, ut ulla nos ætas nobilissimæ civitatis ac Reip. immemores argueret. Ea dicentem Præpositum Dux interpellans, non lenibus

ver-

107.

Ulro denunciât certum sibi esse Pontifici obedire, & interdictum fervare.

verbis Patres increpuit, per quos tam prava exempla reliquis proderentur; ceterum ultionem, seram poenitentiam fore. Sic objurgatos ac silentes remisit.

Imperantium delicatissima fastidia sunt. Quemadmodum enim populi obsequio publica res maximè stat, sic nihil offendit Principes gravius, quàm cum eorum jussis, præsertim quæ justa censent, obsequitur. Vel ipsa parendi mora scelus est. Urebat in primis clarissimos senatores exempli, quod a nobis ederetur, quædam auctoritas, qua suam premi causam existimabant. Nec nihil dicuntur nocuisse quidam è nostris, dum Pontificiam defendere censuram conantur, progressi paulo longius, quàm necessitas ac fortasse prudentia requireret. Quod ego etsi de nullo nominatim comperi, facile tamen adducor uti de nonnullis credam. Si quis enim in ingenti hominum vel sapientissimorum familia neminem esse velit, qui *offendat in verbo**, is plus quidpiam videtur postulare, quam conditio mortalis ferat. Semper id sanctè vetabitur à religiosorum Ordinum præsidibus; semper aliquis, in eo qui peccet, erit. His inflammati Societatem ita dimittere statuerunt, ut omnem ei reditum intercluderent. Sed, ut res minore invidia conficeretur, omni sã interditi causã quasivere alias, ob quas Societatem jure ablegasse viderentur, longè profecto diversas ab iis, quæ sunt à nobis hætenus memoratæ, & ab historiæ Venetæ scriptore notissimo Andrea Mauroceno traditæ*. Nihil enim Patribus, quorum semper & studium erga religionem, & fidem in Rempublicam laudaverant, objicere potuerunt, præter vulgatas criminationes ex eo petitas acervo, unde Societatis adversarii tam multa in eam quotidie depromunt. Sane, cum ante paucos dies tantam in eadem retinendam curam ac sollicitudinem adhibuissent, parum credibile videtur, tam subito apertos fuisse tot prudentissimorum senatorum oculos, qui prius velut incantati tenebantur, ne maculas ejusmodi tam turpes horridasque cernerent. Ut vero sibi atque adeo posteris omnem adimerent sententiæ mutandæ locum, sanxerunt ne decretum irrogati nobis exilii abrogare fas esset, nisi quatuor adhibitis conditionibus & conjunctis, quas simul confluere promptum non est. Prima, ut causa Societatis pro more ad senatum referenda, expenderetur in pleno, ut Veneti loquuntur, collegio*, quale cogi solet, cum administri Principum & oratores audiuntur, iisque responsa dantur. Secunda, ut Acta & rei gestæ series, cum iis, quæ dixi modo, criminibus, & causis ejiciendæ Societatis, in senatu recitarentur. Tertia, ut senatus esset frequentissimus, in quo scilicet ex iis, quibus ferendi suffragii jus est, non pauciora quàm centum octoginta capita censerentur. Quarta denique, ut ex universo cœtu, sex in partes divisio, partes quinque reditum Societatis sciferent.

Postquam hæc unanimi consensu sancita sunt, non sine aliqua tamen altercatione, adeo ut sex ipsas horas disceptatam hanc unicè causam ferant, domum nostram VII. Idus Maias subiit Patriarchæ vicarius, cum duobus canonicis; itemque unus è primariis Reipublicæ apparitoribus; qui evocatum Præpositum ita compellavit: Quandoquidem obedire detrectatis, imo etiam excellentissimi Senatorum collegii jussa palam infringitis, adsum huc ab illis, ac denuncio faciendum indicem sacrarii vestri & bibliothecæ, ut eorum tutela designandis curatoribus demandetur. Imo, inquit Præpositus, Quia Summi Pontificis jussa nolumus infringere, ut professi hesternæ die sumus: hoc ubi testatum & perscriptum fuerit, indicem istum quin exaretis, ac de nostris rebus arbitrio vestro statuat, nihil moror. Indice confecto, acceptisque clavibus bibliothecæ, concessum fuit sacre suppellectilis nonnihil, ad rem Divinam faciendam postero die, quo illis exitus per centurionem est pronunciatus. Igitur, altera post occasum solis hora, cymbæ quatuor adfuerunt. Iis impositi spectante ac marente, quæ omnem implebat ripam, incredibili multitudine, inter amicorum propius adire & colloqui vetitorum lacrymas gemitusque discesserunt. Navigatum tota nocte, ac sub meridie sequentis diei ad Venetæ ditionis fines perventum; ubi majorem in naviculam transgressi, reversis qui eos deducebant, militibus, Ferrariam incolumes tenuerunt; & à P. Provinciali ceterisque, summa cum caritate, eoque ma-

jori

* *Jacob. c. 3.*

108.
Exilium Societatis decernitur in Senatu.

* *Lib. XVII.*

* *Tutta la Serenissima Signoria, con gli Eccellentissimi Savii.*

109.
Patres Venetiis Ferrariam discedunt.

jori cum lætitiâ sunt accepti, quòd vehemens inceserat metus ne quid rei pejo-
ris accideret.

Ad eundem fere modum ex aliis Veneti status oppidis migratum est. Civi-
tatis Patavinæ rectores (sic appellantur gubernatores civitatum Reip. Venetæ,
qui bini è nobilitate ad eas regendas deliguntur: alter Prætor; alter Præfectus
vulgo dicitur) accessit oppidi parochis, nec non domorum religiosarum præpo-
sitis, & virginum Deo dicatarum confessariis, multa graviter minitati, eadem
præceperunt, quæ Venetiis fuisse imperata narravimus. Responsum fuit à Pata-
vinis Patribus, cum omni significatione officii & observantiæ: nihil tamen liquidò
affirmatum, donec Româ litteræ Præpositi Generalis afferrentur. Illæ ubi primùm
sunt acceptæ, collegii Patavini rector, odoratus mentem magistratum, qui exitum
intercludere obsequi recusantibus decreverant; cœpit clam ex urbe illos è
nostris educere, qui emitti sine strepitu poterant, præcipuè sacerdotes. Igitur
Nonis Maii & VIII. Idus, egressi diversis itineribus discessere. Similiter tiro-
nes, mutato cultu, partim rheda, partim cymba, Ferrariam avecti: cum iis
iter illuc intendit ipse rector, ut Provinciam in ea degentem urbe coram affari,
& quæ in rem opus erant, consulere posset. Discedens Patri Ascanio Maratfio
provinciam dedit, ut magistratum adiret, ac simul excusaret, quòd ipse colle-
gii rector non obiret id muneris, cui repentinum iter ac necessarium fuisset Fer-
rariam ad P. Provinciam, negotii causa. P. Ascanius nactus illo ipso die op-
portunitatem conveniendi magistratus, apertè illi significat datum nobis manda-
tum à Præposito Generali Societatis, nomine Pontificis Maximi, ut interdictum
ne violaremus; terrore quolibet, etiam mortis, objecto. Deliberatum esse Pa-
tribus jussu Pontificia omnino exequi. Obstupuit civitatis moderator, ac minaci
vultu, Tragœdiam, ait, inchoatis ejus feralis exitus in vestrum caput recidet:
hanc scilicet Reipublicæ gratiam refertis? Ad hæc Pater, multa & magna tum
Reip. tum Patavinæ civitatis in Societatem extare merita confessus, adjecit non
posse religiosos viros Summi Pontificis mandata perfringere: suis quæque præ-
sidibus obsequi jus & æquum esse: Id nisi fiat, humanæ gubernationis funda-
menta subruunt. Hac oratione mitigari paulisper ille visus, percontatur num venerit
in Patrum manus diploma Pontificium. Negavit Ascanius, ut res erat. Videte
igitur, intulit, ut nihil fiat novi, nihil promulgetur, Divina res non intermit-
tatur. Ita senatus jubet. Ascanio contra denunciante nullum periculum fore tan-
tum, ut adigi posset ad celebrandum Divinum sacrificium, ubi præstitutus per
Pontificem interdicto dies affuisset, exarsit graves in iras civitatis rector; &
acerbè multa questus, Per me vero, exclamat, non stabit quin vobis oppidi por-
tæ pateant; abire satius est, quàm exemplo pestilenti ceteros inficere.

Excepit hanc vocem Ascanius, & facturum se imperata dixit. Non potuerunt
tamen Patres, pro veteri suo & singulari erga Remp. ac nominatim erga Patavinos
studio, non vehementer dolere, quòd eos deserere cogerentur, quorum causa per
tot annos, tantam corporis animique defatigationem, nec pœnitendo fructu,
susceperant. Hac una consolatione levare dolorem suum professi sunt, quod sibi
probe conscii essent, nihil à se, cur dimitterentur, ortum esse causæ. Tum op-
pidi Duumvir, non desunt Patavii viri probi doctique, ait, quibus conscientia
jura explorata sint. Neque id inficior, adjecit Pater, sed aliis alia conscientia
lex & norma est. Postea deprecatus ut angustia temporis ad abitum definiti
laxarentur (nam horæ tantum quatuor data fuerant) nihil responsi tulit aliud,
nisi æquum esse, ut iis incommodaretur, qui Reipublicæ rationibus tantopere
incommodarent. Migratum est inter amicorum amplexus & desideria. Cum
vero sacerdos è nostris unus gravi languens morbo, exportatus est in lecto per
populum; erupit omnium planctus, neque obscura multorum, ob rei atrocita-
tem, indignatio. Promiscua plebs procidebat in genua, orans ut bene sibi disce-
dentes precarentur. Nec sicis oculis tam effusa populi caritas à Patribus spe-
ctari potuit, quibus calamitas sua pristinam erga cives optimos benevolentiam non
ademerat. Milites una vecti cymba, tres alias religiosis onustas exulibus dedu-
xerunt usque in Venetorum fines. Ventum pridie Pentecostes in vicinum Ferra-

ria pagum, quam in urbem devecito agroto, ceteri XVI. Kal. Junias Novillariam sospites inierunt, unde varia sunt in oppida distributi.

III.
Vicentia & Ve-
rona deferun-
tur.

Distat Patavio Vicentia, versus occasum, iter fere diei. Domicilium illic habebat Societas, & instituendum anno insequente collegium sperabat, concessis à Prapósito Generali scholis, vestigalibus idoneis a civitate attributis. Spes tam latas evertit hujus anni turbo. Vicentini Patres, acciti ante paucos dies à rectoribus civitatis, & jussi fenatus imperia capeffere, clam se subdixerunt: percrebuerat enim fama egressum religiosi viris negandum, præsertim sacerdotibus. Reliquere duos rei domestica adjutores, qui curam ædium ac templi gererent. Ii paulo post excedere sunt coacti, quia se stare quoque interdicto velle denunciabant. Procuratio templi urbanis sacerdotibus mandata. Eadem die P. Franciscus Fortetza, qui huic Societatis domicilio præerat, Ferrariam venit. Sed à Provinciali, qui præcipitem illius profectionem & fugæ similem cognoverat, remissus actutum Vicentiam est, ut oppidi rectoribus suæ profectionis causas declararet. Eò cum pervenisset, comperit vacuam esse domum, iratos magistratus, omnia intuta: proinde nequaquam opportunum existimans, ut eos conveniret, Ferrariam reversus est. Aliter Verona discessum fuit: hæc Vicentiâ non longè abest, Alpes & occasum versus; ingens & populosa civitas; studiosa cum primis Sedis Apostolicæ, ac vero Societatis: ut vel ex eo patuit, quòd XIV. Kal. Maias, ejusdem urbis moderatores P. Ludovicum Gagliardum collegii præsidem, nondum admonitis religiosarum familiarum prapóstitis, evocant, ac dura Veneti fenatus mandata, familiariter tamen & meliora ominantes, aperuerunt. Quibus Pater postquam gratias egit, preces horarum quadraginta indixit in templo nostro, quod exemplum statim imitata civitas est omnibus in templis. Ad hæc nostris privatim susceptæ, ut in summo periculo, poenæ voluntariæ, & jejunium ad multos dies productum. Anxiis ac suspensis ad omnem rumoris auram Patribus dubitationis magnam partem exemit, ac cumulavit formidinem, P. Franciscus Furnius, à Provinciali epistolam & mandata, quæ suprà recitavimus, afferens. Hic orta inter nostros difficilis altercatio, num periculo capitis propositio, & ceteris, quæ imminebant, animarum detrimentis, obtemperari sibi Pontifex Maximus vellet. Quid quòd neque legitime facta, neque satis explicata Bullæ Pontificiæ declaratio habebatur. Denique Brixiani Patres, quorum fuerat rogata sententia, in eam inclinabant partem, ut dicerent omnia prius experienda, quam consilium discedendi capiendum. His erecti, & confirmabant ipsi se in sententia non deserenda carissima stationis, & cives amantissimos maximo solatio afficiebant: cum rector collegii optimum factu putavit, si Mantuani collegii rectorem alloqueretur, hominem spectatæ prudentiæ, & questionum ad conscientiam pertinentium eximia cognitione præditum. Scribit ad eum, & rogat ut certa die non gravetur excurrere Mantua, usque in pagum medio inter Mantuam & Veronam itinere situm; illic se pariter adfuturum. Adest III. Nonas Maii. Censuit Mantuanus rector, nisi res certius liqueret, ac majori denunciaretur auctoritate, tandiu nos ad observandum interdictum non teneri, quandiu cathedralis ecclesia non prælucèret exemplo: tunc enim obsequendum, & vitandæ offensionis publicæ causa, & jubente Clementina sanctione*. Addidit alia nonnulla quæ in hanc sententiam theologi disputant. Lætos hoc nuncio Patres subitus postriedie à civitatis moderatoribus nuncius metusque perculit. Arcessit collegii rector interrogatur, ubi pridie fuerit, quemnam in pago S. Zenonis (id loco nomen erat) & qua de re sit allocutus; cur Latine? quid illæ, quas habebant ambo præ manibus, chartæ sibi vellent. Nimirum decreverant Patres in parochi adibus colloqui: eo tum absente, in ædem sacram secedere cogitaverant: ea obserata, coacti fuerant in publicum diversorium se recipere, ubi per cubiculi rimas observati, & a caupone Bullam ab iis afferri suspicato, ac pænas, si taceret, metuente accusati sunt. Respondit Gagliardus se cum rectore Mantuano de re communi locutum esse. Instantibus acriter, quid illud negotii foret, cur adhibitus Latinus sermo, cur libri: judicavit rem omnem aperiendam, & quæ Mantuani rectoris sententia foret, exposuit. Ex quo magistratus intellexit facturos Patres

*Ex frequentibus
de sent. Excom-
municationis.

Patres omnia, quibus probare fidem suam & benevolentiam civitati possent, sinneret conscientia lex. Acta illis gratia; perscripta Venetias de re tota littera; notati, qui sententiam rectoris Mantuani confirmabant, libri. Sed, intulit procerum quispiam, quid ad hæc dicet Pontifex Maximus? Sanè, retulit collegii rector, confidimus nequaquam hanc ejus esse mentem ut rebus, uti sunt modo, stantibus, valere interdictum & excommunicationem velit. At si tamen velit? Volenti jubentique parebitur. Sed, adjecit alius commotior, Quare fert iniquè Pontifex nos de Rep. statuere arbitratu nostro? Pauca pro re locutus Pater, postremum hoc addidit: nostrum non esse de legibus Apostolicis juribusque sententiam ferre. Laudavit moderationem confessus omnis, utque primariam urbis Ecclesiam ducem sequeremur, enixè hortatus est: ac multo etiam gavisus est magis, cum nos in hanc eandem sententiam locutos cum Patribus Theatinis cognovit.

Hæc per urbem jactata, & domi nostræ audita, incredibili gaudio Patres affecere. Non fuit diurnum. Octavo Idus Maias repente conspecti sunt P. Martinus Tominus, & P. Horatius Marazanus. Mandata paulo ante memorata litterasque P. Præpositi Generalis*, afferebant. Tristitiam domo tota sparsit qui legebatur in amborum vultu, maror: aiebant conclamanda propere vasa; fugiendum nemine admonito; maturandum; jam abiisse Patavio Sociorum partem haud exiguum: periculum esse, si fieret abeundi mora, ne facultas exeundi postea non fieret. Incessit omnes repentinus dolor: triste collegio toto silentium; feralis admurmuratio. Conturbatus rector, ac negans fugitivorum instar, imo reorum, egredi clanculum oportere, monstrari sibi litteras iussit. Cui P. Martinus Tominus detritam schedulam obrulit, minoris characteribus, sine signo, sine inscriptione exaratam; id quod certo consilio factum esse posterius intellectum est: nomen & manum P. Provincialis agnovit, ac binas esse litteras intellexit, alteram Præpositi Generalis, alteram Generalis Procuratoris, utramque datam III. Kalend. Maias. Divinam voluntatem certo demum indicio manifestam veneratus, mentem aliam omnem penitus exiit, nihil dubitans quin Christi Vicarius longe sagacioribus oculis magna quadam seu commoda, sive incommoda & detrimen- ta prospiceret, quæ ceterorum aciem fugerent. Adit magistratum extemplo, & certiorum de acceptis litteris mandatisque facit. Stetere proceres amore magis quam ira defixi; rogant ut consideret quem in locum ruat præceptis, quam offensionem toti oppido, quam Societati suæ cladem struat. Præcepti animo, inquit, omnia: sed parendum est. Atque hæc nonnemo: Age, inquit, si retinere vos amica civitas velit, quis erit interdicti observandi modus? Lenissimus & minime tumultuosus, respondit ille: non efferimus enim mortuos, oleo sacro ægros non unguimus, non sacrificamus cum cantu, preces diurnas nocturnasve in choro non recitamus: ministeria docendi nostra, concionandi, mortales ad recte vivendum, ad pie moriendum, cohortandi, vetita interdicto non sunt, acceptissima tamen omnia & utilissima civitati. Placuerat mirificè proceribus responsum, & viam qua possent Patres morari scrutabantur: nihil ausi tamen absque Veneti senatus concessu decernere. Huic jam deliberatum erat Societatem abdicare: ipsumque senatusconsultum Veronam postredie perlatum, & collegii rectori à Duumviris patefactum. Ejus tamen constantiæ adhuc periclitandæ causa, epistolam à Principe Reip. missam recitari jubent in frequenti corona, illo audiente. Erant epistolæ partes duæ: prior pœnam capitis interdictum amplectentibus irrogabat. Ea perlecta sciscitantur à rectore quid respondeat. Quod jam respondi, ait; nos omnes paratos in utrumque esse, aut tueri interdictum aut mori. Percussit animos responsi fiducia, & aliquibus minas, ac verba duriora excussit. Postquam illum tamen viderunt nec flecti nec frangi posse, innuerunt cancellario, ut posteriorem epistolæ partem legeret. Hæc Patribus abeundi copiam faciebat, si perstarent in sententia. Discessus ut careret strepitu, & quam sedatissime perageretur, commendatum est; utque non omnes simul, at divisim temporibus locisque abirent. Sic monitum collegii rectorem, & proluxe quæ postulabant promittentem, magna honoris & benevolentia significatione prosecuti sunt.

*Supra. num. 105.

II 2.
Patrum Veronensium in discessu maror.

Tam quietè & occultè adornabatur exitus, ut adolescentes nostræ in scholis disciplinæ alumnos adhuc lateret; ac ne quid iis suboleret, proficisci placuit frequenti die, quo scholæ vacabant: quia vero pomeridianis tantum illas horis vacare mos erat, præcepit scholarum magistris rector, ut mane pariter vacaturas pronuntiarent. Inexpectatum beneficium juvenus, ignara suæ nostræque calamitatis, accepit non sine gaudio: sed cognito statim carissimorum magistrorum discessu, diem illum inter nefastos & nigro notandos calculo numeravit. Nemo consequi verbis potest quæ fuerit civitatis universæ comploratio, qui domum nostram concursus omnium ordinum. Duo erant in collegio sodalitia civium. Illi, audita, tristi fama, convenerunt ad ducentos; & Patrem, qui ad ipsos verba facere consueverat, evocarunt. Accedentem prostrati suspirantesque exceperunt, vixque impetravit, pauca pro tempore locutus, ut surgerent, ut abire se paterentur. Plurimi ex universâ civitate ad oppidi portam, nec pauci ad tertium quartumve lapidem prægressi, abituros præstolabantur, ac bene precati prætereuntibus, eosdem oculis longe lacrymisque sunt secuti. Enituit Patrum constantia in vincendo dolore suo, & ferenda calamitate, cujus magnitudinem è tanto erga se clarissimæ urbis amore intelligebant. Nec minimam meretur laudem invictus multorum è nostris animus, qui licet essent cum parentibus, amicis, affinibus, è primaria etiam Veronensi nobilitate, conjuncti, ab iis nihilominus disjungi, quam a Dei voluntate, & debita Sedi Apostolicæ reverentia, vel latum unguem discedere maluerunt. Par Brixianorum exstitit in Societatem caritas; qui cum fructus uberrimos ex ejus laboribus, ac præsertim è P. Bernardi, viri Apostolici concionibus caperent, eam dimittere sine dolore nequiverunt. Pontificiam Bullam, Episcopo monstrante, nostri viderant; voluntatem Summi Pontificis è literis Præpositi Generalis aperè cognoverant; nihil minarum, periculorum nihil opponi potuit, quin accingerent se ad jacturam vitæ potius, quam obedientiæ, faciendam. Sexdecim ex illis iter Placentiam versus intenderunt V. Id. Maias: alii octo Mantuam, alii aliò deducti. Restiterant duo rei domesticæ adjutores, magistratu non invito. Sed, jubente Veneto senatu, per milites immisos abacti sunt.

113.
Migratur
Brixia.

114.
Creta Societatem
amittit.

Non stetit Societatis calamitas intra fines Italiæ: pervasit in Cretam usque insulam, ubi scholas frequentabat juvenus non solum Latini ritus, verum etiam Græci. Nec tantum in urbe præcipua insula, sed in finitimis oppidis, populi procerumque benevolentia placide fruebatur. Minaces quidam ab Italia, deo coorto inter Serenissimam Rempublicam & Pontificem Romanum dissidio fremitus pristinam tranquillitatem paululum turbavere. Ac primo quidem auditæ variis è partibus ineunte Maio rumores obscuri & malevoli; facile tamen contempti, quandiu à plebe spargebantur, credula vulgo & maligna. Graviore visi, cum ab ipso Cretensis regni Præfecto Generali, Nicolao Sagredo, sunt nobis denunciati: demum perlata Societatis clades fuit à Crætenfi Archiepiscopo. Is profectus ab Italia superiori mense, narravit expulsam Venetis urbibus, ac similiter insula tota exigendam. Cretam peragravit hæc momento fama, cujus dum auctores veritatemque disquirunt anxie P. Molinus, nostrorum illic præses, evocatus à Sagredo per centurionem VI. Kal. Jun. & inter undantes populo vias deducitur ejus domum, quò proceres convenerant. Ibi excellentissimus Generalis, ore ad severitatem composito; Vellem, inquit, Superi fecissent ut laudare vos potius Respublica, quod hæcenus præstitit, quam accusare cogere. Sed Venerorum Patrum imprudentia (ne graviore verbo utar) ea fuit, ut urbem, à qua tot beneficiis ornati sunt, non modo primi omnium deseruerint; sed in eandem quoque noxam Capucinos ac Theatinos exempli contagio pellexerint. Eam ob rem visum Serenissimo Duci ac sapientissimis Senatoribus est, ut omni Veneta ditione cederet Societas. Invitus idem vobis denuncio, ac ne quis vestrum intra hæc mœnia pernoctet veto; parata sub vesperam vos omnes excipiet navicula, atque in vicinam arcem S. Theodori deportabit, donec in Italiam trajiciendi opportunitas offeratur. Dubius quid responderet Pater aliquantisper hæsit: nihil enim certi de Pontificio diplomate deque Italicis rebus audiverat: unum quod responderet habuit, dolere se Societatis vicem; se suosque in Reip. potestate semper futuros.

futuros: cumque tres tantum horæ diei superessent, obsecravit ut in diem sequentem prorogari discessum vellet. Obtineri nihil potuit.

Igitur in phaselum impositi, exeunte Junio, & in S. Theodori castellum delati sunt. Exiguum illud munimentum est in conspectu Cretæ, scopulo impositum, ad arcendas prædonum hostiumque naves, quæ latrocinii olim ac cædibus maritimam oram, & portum Cretensem, infestabant. Illud milites ad quadraginta insident: sterile solum & incultum: calor æstate immodicus. Hunc in carcerem coniecti sunt, in eoque restitere dies quinque & octoginta. Angustum conclave omnes diu noctuque capiebat, cum promiscua militum fece. Instar portenti fuit paucos morbo tentatos, neminem extinctum, in summa rerum omnium penuria. Nec dubium quin tot incommodis par esse nequivisset vita multorum & sanitas, nisi paterna Divini Numinis cura, quæ maxime tunc adest, cum reliqua desunt, opem laborantibus attulisset. Rhithymi gubernator summum in istam arcem imperium obtinebat, vir Societati nostræ deditissimus; qui uni è Patribus per Quadagesimam concionanti aures frequens præbuerat in urbe sua. Ille captatâ causâ stipendii militibus persolvendi, & castella invivendi, nos amantissimè convénit, sublevavit quibuscumque potuit rebus, & ad iter commodius instituendum multa subministravit. Inchoatum iter medio Septembri: absolutum Kalendis Decembris, inter gravissima tempestatum, & prædonum pericula. Navigium erat vetus, male instructum, & nautis panè nudum, quos etiam scindebat discordia. Hæc primarium inter nauclerum & ratis magistrum vehementius accensa moram attulit, amissaque cæli ac maris tempestivitate, navim in hyemem ac procellas coniecit. Ægrè ultra Cythera, insulam Peloponneso vicinam, processerat, cum diu fluctibus inimicis obluçtata, cœpit fatiscere. Ad Leucadem conspecta classis Turcica ingentem incussit metum. Hoc periculum aliud excepit longe gravius. Mutato repente vento, mare intumuit majorem in modum, & undarum montes in ratem laceram effudit, quibus ita oppressa est, nullus ut nautarum labor exhauriendæ sentinæ par esset, ac singulis prope momentis demergenda videretur. Ad hæc velum, antennas, malum ipsum turbo subitus abstulit. Tum vero lamentabilis erupit clamor, veniam Superos poscentium, & confusis vocibus plangentium, ut in desperata re. Conceptum uno consensu votum est de visitanda Virginis Deiparæ, si evaderent in tutum, æde his in locis percelebri. Non irritæ ceciderunt preces. Sedato vento, mare detumuit. Latæ nautæ vectoresque respirabant, cum repente velut collectis viribus horribilis Aquilo incubuit miseris; & rudente rupto scapham, in quam recipere se parabant, fluctus hausit. Huc illuc jactati, se ventis ac Superis permiserunt, procella jam artem superante. Demum metu, fame, frigore debilitati; per tenebras, imbres, fulmina deferuntur in Ragusinæ oræ portum, unde pridie Kal. Novembres vela in Italiam fecere: quam tamen, adversis repulsi ventis, aut in exiguis insulis coacti consistere, non tenuerunt nisi Kalendis Decembr. quibus inveci Barulanum portum, a collegii Patribus excepti sunt eo majori gaudio, quòd jam fuerat eorum salus conclamata. Quippe in proximis littoribus naves nuperrimè perierant, & earum in farcinis æstu ad littus ejectis repertæ litteræ, per quas cognitum de discessu Patrum è Creta insula fuerat; nemo ut dubitaret, quin fracta pariter navi miserè periissent. At hæc quidem tempestas brevi sedata; non item ea quæ Societatem urbibus Italis ejecerat: quæ nisi post annos unum & quinquaginta mitigata non est; cum Alexandri VII. fortunato fidere, in portum & in Serenissimæ Reipublicæ gratiam revocati tandem sumus, anno MDCLVII. Nam ut antea restitueremur effici nullo pacto potuit.

Hoc quidem anno MDCVI. flagrantibus adhuc odiis, & recenti offensione, spes nulla rei meliorem in locum reponendæ affulsit. Nec vero jam inter Venetos ac Pontificem verba & steriles jactabantur minæ; sed arma, cædes, funera parabantur. Rogatus à Pontifice per Nuncium Apostolicum Henricus IV. Galliarum Rex ut Ecclesiæ laboranti succurreret, promisit se quadraginta hominum millia ducturum in Italiam, si res posceret. Adjecit nihilominus præstabilius videri, si Veneti adducerentur ad concordiam, & lis amice componeretur. Reipublicæ vicissim

115.
Socii deportantur in desertum scopulum.

116.
Inde in Italiam difficili navigatione perveniunt.

S. VII.
SOCIETAS IN URBS VENETAS TARDIUS RESTITUTA.

cissim oratori opem, pro veteri necessitudine, postulanti respondit se Reipublica cui esset addictissimus, causam ita defensurum, si Ecclesie jura salva essent, cuius se primogenitum esse meminisset: ac prudentissimum senatum rogavit ut, omisso bello, cum Pontifice rediret in gratiam: curaturum se ut honore salvo, ac nullo Reipublicae detrimento, res transigeretur. Neque aliter comparatus Philippus III. Hispania Rex erat: uterque vero pacem tanto suadebat enixius, quanto vim periculi majorem intelligebat. Erant in oculis fumantes adhuc lucuosi belli, quo Christianus Orbis tot annos arserat, faces; materiam omnem feralis incendii renovandi, communibus studiis opprimere conabantur. Quod id impensius agerent fecit Jacobus Angliae Rex, qui Majestatis Pontificiae ruinis ac depressione nascentem sectam attollere gestiens, Venetos stimulare non cessabat, ut Summi Pontificis auctoritatem excuterent; hanc magnitudinem animi, hanc libertatem, insidiosis nominibus appellans. Quo graviore ista metus erant, eo Principes Christianos urgebant acrius, ut pacem inter Pontificem, & Venetos conciliare festinarent.

117.
Causa hujus
cunctationis.

* Num. 103.

Nec Paulum V. leviores premebant curae. Videbat institutas ad remedium censuras in exitium verti. Suprema Sedis venerandam caelo terrisque potestatem adduci sensim in contemptum. Pigebat Ecclesiasticam litem armis persequi. Sumptus ingentes, divinarum & humanarum rerum perturbationem, scelera & sacrilegia, perpetuos belli comites: denique incertos Martis communis exitus, & alia id genus plurima, ipsi à P. Antonio Possevino, quem Romam a Sociis Venetis missum * vidimus, & voce & scripto proposita reputabat. Venetos pariter, cum Ecclesia Romana semper conjunctos arctissimis & sanctissimis vinculis, non leviter angebat bellum, ex quo gravia detrimenta, gravior in Republicam omnem invidia redundabat. His permoti tum ipsi, tum Paulus V. omiffis armis, Principum pacem suadentium precibus aures accommodare statuerunt. Conciliator pacis ac sequester oblatum est à Rege Franciae Cardinalis Franciscus Joyosa, sacri collegii clarissimum lumen, & rerum Gallicarum in Romana curia patronus: à Rege verò Hispaniae Comes Franciscus à Castro, Ducis Lermæ nepos, qui principem in regis gratia locum obtinebat. A Venetis promissum est, in gratiam praertim Henrici IV. fore ut legibus, quae causam dissidio praebuerant, non uterentur, dum lis pendere: ut canonicus Vicentinus, & Nervesanus abbas in manus Pontificis alicujus administri traderentur: ut Ecclesiastici ac religiosi viri, qui per interdicti causam urbibus Venetis excefferant, restituerentur in integrum; postremo ut scripta, litterae, edicta contra interdictum composita, deleterentur.

118.
Veneti restituere
Societatem
prorsus abne-
gant. Paulus V.
hanc pacis con-
ditionem omni-
no postulat.

At ecce nova & inexpectata difficultas, quae propemodum ineluctabilem paci moram injecit. Nemini venerat in dubium quin, ut in ceteris foederibus usuvenit, in isto quoque comprehenderentur utriusque partis sectatores, & communis concordiae conditionibus gauderent. Id Henrico IV. persuasum, & pro ea qua Societatem JESU, nuper à se in regnum revocatam, benevolentia complectebatur, in primis cordi curaque fuerat. Illam restituere Veneti prorsus abnegant, quamvis de recipiendis in gratiam & urbes suas Theatinis Capucinisque assentirentur: quos aiebant non tam sponte sua, quam alieno inductos exemplo, peccasse. Neque tamen excludi communi beneficio Societatem ob interdictum servatum profitebantur; sed gravibus aliis de causis, quae ad interdicti causam & debitum Summo Pontifici obsequium nihil pertinebant. Reges Galliae & Hispaniae, illorumque administri, qui summae sibi ducebant laudi, si negotium concordiae tam feliciter inchoatum ad optatos exitus perducerent, huc junctis viribus incubuerunt ut obicem istum convellerent. Ac partem illam sumpsere protinus oppugnandam, quae videbatur ad vincendum facilior, nempe Pontificem. Propensus ad quietem Paulus Quintus saevam instantis belli molem agerrime ferebat. Trepidanti & omnia circumspicienti novos terrores ingerunt; pericula per se jam gravia majorem in modum amplificant. Alteram admovit machinam Joannes Cardinalis Delfinus Venetus, eique persuasit hujus belli flammam à quodam Cardinali, Pontificis ipsius consanguineo, accendi de industria, non ut Romanæ Sedis honori consulere, sed ut suis rationibus & ambitioni velificaretur.

Con-

Concussum hac oratione labantemque adhuc sustentabat, abducebatque à pace officii quædam ratio. Facere non poterat eos ut destitueret, qui omnia potius deserere quam ipsum maluerant; & quorum crimen esse unum intelligebat, quòd Sedi Apostolicæ fuissent obsequentiores. Quo enim animo futuros in posterum auctoritatis Pontificiæ defensores, cum animadverterent, non solum nullam suarum rerum haberi rationem, verum etiam exitio suo pacem & concordiam redimi? Meminerat quæ Patribus Societatis non semel dedisset promissa; & audiebatur sæpe cum diceret illorum restitutionem suam esse causam, nec illius conficiendæ curam à se, nisi cum ipsa vita, deponendam.

Incertum Cardinalem Joyosam, quo tandem pacto hunc Pontifici scrupulum eximeret, adjuvit Cardinalis Perronius, qui Romæ tunc aderat, seque regis oratoribus ad promovendum negotium adjunxerat. Paulum V. adit; justum esse negat perturbare Christianum Orbem, Italiam in periculum, Religionem ipsam & Ecclesiam in gravissimum discrimen conjicere, ob privatam aliquorum causam. Possè illorum fidelitatem à Sede Apostolica plerisque aliis modis compensari: restitutionem Societatis in aliud differri tempus sine detrimento possè, pacem non possè mitigari sensim vel maxime implacabiles iras: senescere ipsa die ac mori, quamvis immortales videantur, Satis auctoritatis in Pontifice, fatis in Philippo Rege, fatis in Henrico IV. constantiæ & fidei fore, ut Societatem quamprimum revocandam curarent. Id instare modo, id caput esse, ut Majestas Pontificia pristinam vim obtineret, ut imminens Romæ, Italiæ toti, atque Ecclesiæ bellum atrox propulsaretur. Pace constituta & confirmata, res ceteras facile impetratum iri. Quamvis hæc appositè solerterque dicta essent, nihil tamen efficacius ad expugnandum Paulum V. & illam ingrati animi, quam verebatur, labem abstergendam occurrit Cardinali Joyosæ, quàm si Patres Societatis, de quibus tantopere Pontifex laborabat, suam ipsi quodammodo causam desererent. Ergo Cardinalis Præpositum Generalem Claudium Aquavivam blando sermone aggreditur: monet esse in ejus unius manu duos potentissimos Principes summo afficere gaudio; Regem Franciæ, si gloriæ confectæ pacis consequatur; Pontificem Maximum, si belli molestissimi onere levetur. Hac ratione ambos in perpetuum Societati suæ devinctos habiturum; simulque Christianum Orbem gravissimis corporum & animorum exitiis liberaturum. Tanti operis perfectionem penes illum esse, si optatissimam Pontificem inter & Venetos concordiam sanciri, nulla restituendæ Societatis mentione facta, patiatur. Sic intellectum iri sinceram esse ac puram Patrum caritatem, quæ scilicet non quæreret quæ sua sunt; nec frustra vexillum hoc ab iis præferri, aut hanc tesseram falsò jactari, AD MAJOREM DEI GLORIAM. Neque verò damni quidquam propterea imminere Societati. Non enim esse dubitandum quin Henricus IV. pro eo, quo illam complectebatur, studio ejus restitutionem urgeret acriter; & pro summis suis in Rempublicam promeritis obtineret. Hujusce rei fidejussor, inquit, Regis nomine sponsorque sum. Sic multo majori cum gloria Societas, interposito brevi spatio, revocabitur; nec hujus in Sedem Apostolicam meriti memoria unquam obsolescet.

Ejusmodi promissis Aquaviva utcumque recreatus, intelligensque rem eo provecam esse, ut nec proficere oblectando, nec aliter exsolvere Paulum V. sollicitudine dura posset, rem totam ejusdem Pontificis arbitrio permittit. Societatem Divinæ gloriæ amplificandæ, ac Sedi Apostolicæ tuendæ professus omnino esse deditam: ipsius Pontificis esse dijudicare ubi major Dei gloria, ubi Sedis Romanæ dignitas amplior ageretur. Nullam sibi ac suis potiorem, quàm obsequendi laudem, unquam fore. Revixit his auditis Pontifex, & Præpositum Generalem humanissimè affatus, promissis oneravit amplissimis, pacemque ratam esse statim jussit. Restabat, ut Cardinalis datam Aquavivæ, Regis nomine, fidem liberaret. Nec Henricus IV. sponsonem abnuit: ac per eundem Joyosam suosque oratores negotium strenuè profecutus est. Veneti, quos nullus tunc sollicitos habebat ab hoste externo timor, neque ulla majoris momenti spes ad Hispanos Gallosve accedere cogebat, Regum curas ac vota in longum duxerunt.

Postre-

119.
Quibus artibus
victus Pontifex
restitutionem
Societatis urge-
re destitit.

120.
Paulus Venetus
cur Venetos a
revocanda So-
cietate unus
maximè deter-
ruerit.

* Fra Paolo.

Postremam, quæ illos à Societate revocanda diu deterruit, causam aliis quæ memoratæ jam sunt, addo. Erat ea tempestate Venetiis magnum in historia hujus temporis nomen, Paulus Sarpus * è sacra Servitarum familia: homo literis Græcis, Latinis, & præstanti rerum variarum scientia eruditus; nec solum apud suos Servitas insigni florens fama, sed apud ipsam Rempublicam, quæ illius doctrina & sagacitate plurimum utebatur. Nondum quippe nota erat hominis indoles ac religio, quam veris postea coloribus expressam ostenderunt Orbi Christiano ipsius epistolæ & Historia Concilii Tridentini, à Cardinali Sfortia Pallavicino confutata. Quo magis Venetos devinciret, se Paulum Venetum, paterni velut oblitus nominis, appellabat. Nihil eo fieri poterat magis populare, nihil Reipublicæ ac civitatis amantius videbatur. Itaque coorto Romam inter ac Remp. diffidio, præclaram occasionem tuendæ ornandæque patriæ sibi oblatam existimans, non leviter est investus in Paulum V. ejusque censuras. Excanduit multo acrius cum ab eodem evocatus Romam, detestavit palam imperium, & anathemate nominatim percussus est. Perrexit omni studio causam tueri, quam susceperat: cui cum adversari Societatem cerneret, nullum finem fecit Serenissimæ Reipublicæ à nobis abalienandæ: id metuens, ne revocata Societas ipsum talem ostenderet aliquando, qualis erat. Absit autem, ut in cum ab hominibus Societatis tale quidpiam susceptum aliquando vel cogitatum sit, quale ab historico recenti memoratur, non alio teste quàm Thuano, & cujus fides in narrandis rebus nostris quam levis momenti ponderisque sit, satis compertum est. Igitur tandiu dum Paulus Sarpus vixit (vitam autem ad annum usque MDCXXIII. produxit, cum biennio ante Paulus V. obiisset) nullus ad restituendam Societatem patuit locus.

121.
Henrici Magni
judicium de So-
cietatis facto.

Quid à consecutis Paulum V. Pontificibus & ab ipsa deinceps Societate tentatum, & quo successu, fuerit, aliàs exponetur: nunc atrox coronidis loco Henrici Magni, Christianissimi Regis, vocem: cujus judicium eo majorem habere vim & auctoritatem debet, quo ejus prudentia notior, & in Venetos benevolentia perspectior. Cum igitur aliquando in hunc sermonem, de oborta Pontificem inter & Rempublicam controversia, incidissent proceres audiente Rege; illorum unus, Calvinus affecla, Societatem graviter infectari cœpit, quod Rempublicam non solum deseruisset in difficillimis ejus temporibus, verum etiam partes Pontificis Romani, contra eandem Rempublicam esset amplexa. Mox ad Regem conversus: Dubium, inquit, non est quin Jesuitæ in tua causa, Rex, eodem se præberent, & regis partibus desertis, Pontificias sequerentur. *Illi vero, subjecit Henricus, tandiu me non deserent, quandiu ego virtutis iter non deseram: quod si ab eo desisterem, meque cernerem ab iis destitutum, nunquam tamen illos eam ob rem vel odio vel reprehensione dignos arbitraver. Ad ipsorum cum Venetis causam quantum attinet, quod religiosis viris dignum erat fecerunt, necessitate compulsi; ne scilicet, contempta Petri potestate, Divina celebrare Officia cogerentur. In rebus enim spiritualibus superiori spirituali parendum fuit; sicut in temporalibus, temporali. Ex quo intelligi potest non tam ipsos discessisse à Venetis, quàm à Venetis dimissos fuisse.*

122.
Quibus causis
impulsus Alex-
ander VII. So-
cietatem resti-
tuendam susce-
perit.

Ea mens Henrici IV. fuit, hoc judicium de causa Societatis. Quæ citius fuisset in integrum restituta, si optimi vota Principis, & quæ dabat identidem suis apud Venetos oratoribus mandata; si ejus filii Ludovici XIII. obligatam parenti suo fidem reposcentis; si Regum aliorum ac Principum studia conatusque valuissent. Responsum semper à Venetis est, teneri se gravissimis rationibus, & ad Reipublicæ dignitatem salutemque spectantibus, ne quid mutatum vellent. Negotium adeo impeditum, ac prope desperatum, Alexandri VII. prudentia feliciter expedivit. Cernebat è diuturno Societatis exilio non modò redundare dedecoris aliquid in Romanam Sedem, quæ suos cultores, propter navatam ipsi obedientiam multatos, destituere videretur: sed etiam inde contemptum legibus Ecclesiasticis ac perniciem afferri, quas nemo deinceps, tam gravi pœna proposita, sibi observandas judicaret. Illud quoque intelligebat, magnas oriri è scholis Societatis utilitates, quibus Venetam juventutem tandiu carere iniquum esset.

Occur-

Occurrebat contrâ difficultas afferendi remedii, cujus ne proponendi quidem relictus erat locus. Societatem sanè requirebant non pauci, sed privata vota in publici confessus efferre lucem audebat nemo. Sensim tamen, mitigatis ipsa die offensionibus, ad leniora consilia flecebantur animi, & materia veluti fiebat aptior accipiendæ formæ, quam aliqua vis amica manusque potentior induceret. Hæc amica vis, hæc manus, non alia quàm ejusdem Alexandri VII. ut quidem tunc res erant, esse posse videbatur. Illum senatus Venetus propter candidos mores, ac sinceram pietatem, non tam ut Principem de exercenda potestate sollicitum, quàm optimum parentem de filiorum commodis cogitantem, spectabat: cujus proinde in gratiam aliquid peculiaris obsequii præstare Sedi Apostolicæ, nequaquam alienum dignitate Veneta vel libertate censebat. Ad hæc in graves angustias ob Turcicum bellum adducta Respublica, quo profugeret, præter Alexandri sinum, nihil habebat. Cæsar vicinum & formidandum hostem metuebat irritare; Polonus externo bello distinebatur; Lusitanus contra Hispanum semper excubare cogebatur; Hispanos & Gallos vetus discordia implicabat. Solus Pontifex secura gaudebat pace: nullus illi à Turca metus: magna defendendæ in tanto periculo rei Christianæ voluntas, nec facultas minor: eamque spem Venetis fecerat. Existimavit igitur homo prudentissimus, eos per istam temporum difficultatem adduci leniter posse ad id præstandum, quod secundis rebus suis tandiu negaverant. Neque vero ignorabat restituendæ Societati locum non fore, dum appositæ decreto exilii conditiones manerent: sed illud quoque videbat, iidem manibus nodos istos, quamvis Gordios, solvi aut scindi posse, quæ illos nexuerant: Principes, cum verant, nequaquam sibi potestatem ac jus permittendi adimere: parem esse posteris senatorum, atque ipsorum majoribus, auctoritatem: ac deponi à Republica necessitatem posse, quam ipsa sibi imposuisse videbatur.

Hæc secum reputans Pontifex aggressus est quadam de Societate, ac pristinis ejus inter Venetos laboribus injicere in sermone cum Venetorum oratoribus Joanne Pifauro, Nicolao Sagredo, aliisque. Egit apertius de hoc eodem argumento Apostolicus Venetiis Nuncius Carolus Caraffa, Episcopus Averfanus, vir miræ dexteritatis & solertiæ, cujus egregia dederat apud Helvetios documenta. Ne cui verò suspectus esset, quoniam nobilibus Venetis nefas illic est cum Principum administris privatim habere sermonem, sequestrum atque interpretem adhibebat, præter quosdam ordinis Ecclesiastici patricios, Joannem Delfinum Coadjutorem designatum Patriarchæ Aquileiensis, & in sacrum Cardinalium collegium postea cooptatum; facundia pollentem & auctoritate; & quod caput est, publicæ utilitatis cupidissimum.

Interim tempus illud, cujus modo meminimus, advēnit juvandæ contra Turcicos furores Reipublicæ. Opem à Venetis expetitam Alexander ultro dedit, nulla restituendæ Societatis facta mentione, quamvis ipsa res suaderet, ut qui beneficium dabat, beneficium posceret. Aliter prudenti & magnanimo Pontifici visum: in eoque Sedi Apostolicæ consuluit, Venetis, Societati, sibi. Sibi, ne gloriam piæ liberalitatis amitteret: Sedi Apostolicæ, ne irrogatam Societati multam pendere potius, quam auxilium laboranti Orbi Christiano impendere videretur: Societati, ne per vim forte, & ingratis restitueretur; aut, si perstarent in pristina sententia obfirmati senatores, turpius & in perpetuum exclusa remaneret: Venetis denique, ut honestius id facerent, grati & memoris animi significandi causa, quàm pretio ac mercede velut constricti. Imò illos ea ratione arctius obligatos ad rem secundum sua vota conficiendam habebat. Est enim hoc innatum excelsis & nobilibus ingeniis, ut honestate & gloria maximè ducantur; præsertim quando sic honestum utili junctum est, ut clam haberi utile, honestum palam ferri possit. Animis hunc in modum sapienti consilio delinitis, mittit Alexander, exeunte Julio anni MDCLVI. litteras ad suum Venetiis Nuntium de proponendo, cum opportunum ac tempestivum judicaret, negotio: deinde operam dat, ut Cardinalis Marcus Antonius Bragadinus, quem Respublica post Justiniani oratoris Veneti mortem, suis apud Sedem Apostolicam negotiis præ-

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

O

fecerat,

123.

Captata opportunitas rei conficiendæ.

fecerat, in eandem sententiam ad senatum scribat; obscurius tamen, & quasi tentandi vadi causa. Erat Bragadius Venetorum Cardinalium antiquissimus; nobilitate, annis, prudentiaque spectatus; & quanto minus artificio illo politica calliditatis eruditus, tanto ad res gerendas aptior, ob notam integritatem, & expertem fuci ac simulationis probitatem, quae saepe ad persuadendum plus omni artificio valet; idem addictus Societati. Scribit ergo Pontificis nomine Bragadius primò frigidius, ut in ancipiti negotio: iterum ardentius & pressius. Respondet senatus perplexè; negotii difficultatem significat; postremo negat decerni quidquam posse prius quam litteræ Pontificis in frequenti senatu recitentur. Eas Nuncius Pontificius penes se habebat, molles aditus & opportunum tempus ut tuto proponerentur, opperens. Oblatum credit sub initium anni MDCLVII. cum essent inituri Collegium viri præstantissimi*, & negotio consiciendo aptissimi, ac præ ceteris Pisaurus, qui gravissimam hanc molem unus maxime movit. Certior factus Pontifex, utque omnibus instaret copiis admonitus, agit cum Venetis Cardinalibus, ut rem totam propinquis suis amicisque commendent; revocent illis in memoriam quantum dare Pontifici beneficium possint; quam jure ac merito debeant. Eo scripserunt illi efficacius, quo liberius & apertius. Labantes animos impulit Pontificium diploma Nonis Januarii oblatum senatoribus à Nuncio Apostolico.

* *Savj grandi. d. Savj del Consiglio.*

124.
Pontificis litteræ ad Senatum.

Sententia diplomatis hæc erat. Fieri non posse, ut sapientissimus senatus ignoraret quanto labore, quanto animarum fructu Societas Jesu in colendam, Domini vineam incumberet. Pertinere ad curam, munusque Summi Pontificis, ut homines publicis devoti commodis, operam locis omnibus navarent; ac præfertim illis, quæ ipse Pontifex singulari caritatis paternæ studio complectebatur. Talem nobilissimam Venetorum Rempublicam esse, quam peculiari benevolentia semper profectus erat, prout ejusdem singularis erga Deum pietas, & adversus Apostolicam Sedem observantia merito postulabat. Proinde accidere sibi permolestum, quòd illa tot jam annos Ordine religioso tam utili careret. Ostendebat postea quanti Reipublicæ interesset æratem teneram rectè institui; quantum ad informandam bonis artibus juventutem haberent facultatis Patres Societatis, tum ob frequentem hujus professionis ac diuturnum usum; tum quod pietatem una cum litteris instillare laborarent: quippe qui spectarent unam Dei gloriam & salutem proximorum; uti satis declarabat illorum ardor in propaganda Fide, in templis ornandis, in spargendo Divini verbi semine, in frequenti sacramentorum usu inducendo, in reliquis demum pietatis Christianæ partibus indefessa sedulitate procurandis. Itaque, dignum esse illustrissimi senatus prudentia, dignum religione, dignum observantia erga Sedem Apostolicam, ut aditum Patribus in urbes suæ ditionis quamprimum aperiret. Fore id permagni momenti ad opem Divinam impetrandam, nec non ad referendas Numini debitas pro summis ejus in Venetos beneficiis gratias; cui nullum acceptius obsequium, & memoris animi monumentum præstare possent. Nec nihil valiturum ad promerendum Sancti Ignatii patrocinium, cui non deberent minus dediti esse, quam majores sui; apud quos vir sanctus diu commoratus, dum Societatem fundaret, multa reliquerat virtutis eximie documenta. Quod spectaret ad Pontificem, non recusare illum, quin expensum ipsi ferret Respublica, quidquid in Patres beneficii conferret. Sponsionis & fiducia loco Venetis dare paternam, quæ semper illos complexus erat, caritatem, & quam non minorem sua spe haud semel experti erant. Sane illorum contra insensissimos nominis Christiani hostes causam ejusmodi esse, quam Pontifex non tueri omni ope non posset: incitandum tamen illum multo acrius, & stimulandum ad omnes suas vires in iis tuendis ornandisque collocandas, si votis ipsius obsecundarent. Nihil à Republica fieri posse illustrius, quo suam Sedi Apostolicæ reverentiam testaretur; nihil, quo Apostolicæ vicissim Sedis benevolentiam & officia certius provocaret. Non solum in frequentissimo senatu recitatum hoc Pontificis diploma fuit, sed opera & sedulitate Nuncii manavit per urbem, quo vim suam in omnes amplissimi corporis venas diffunderet; ac vernaculo donatum sermone manus legentium & mentes implevit. Idem Nuncius

cuius Apostolicus cum litteras Pontificias senatui porrigeret, addiderat illis accuratissimam orationem, & arte singulari exposuerat quidquid nec dici ab ipsomet Pontifice, nec scribi decebat; cognosci autem & explicari vehementer ad causam pertinebat. In primis præteritas lenire offensiones, mitigare superioris decreti acerbiteriam & invidiam, Summi denique Pontificis incensum desiderium in omnium auribus mentibusque desigere studuerat. Hoc diplomate, hac oratione concussi animi ad rem è sententia votisque Alexandri consociendam inclinabant; cum unus quispiam assurgens, ut præcipitantes veluti sisteret, exclamat, omnino fieri quod petebatur non decere; quia Regi Christianissimo negatum id fuerat, imò confirmatum à Republica, fore ut nemini alteri hoc idem concederet. Itaque sine gravi potentissimi Principis injuria fieri non posse, ut vota Summi Pontificis audirentur. Hoc telum Nuncius Apostolicus nescio quo pacto præviderat; cumque rescivisset oratori Gallo Plessæo Bezançonio commendatam à Cardinali Mazarino Societatis causam, cui Bezançonius ipse sponte sua favebat, oravit ut obicem hunc amoveret. Adfuit orator, palamque est professus pergratum Regi suo fore, si Respublica Pontifici auscultaret.

Hunc in modum res integra senatui permissa fuit. Ac primo quidem censuere multi proferenda esse in medium Acta, legemque decreti contra Societatem exilii. Considebant enim Acta hæc, utpote perturbatis temporibus & animis confecta, deprehensum iri vitiosa; quo animadverso irrita pronunciarentur, simulque senatus liberaretur odiosa necessitate derogandi perlatæ jam & sancitæ legi. Displicuit hæc via plurimis, non solum quod longioris esset examinis & moræ; verum etiam quia, si declararentur Acta vitiosa & irrita, jam æquitati tantum & justitiæ locus relinquebatur, nullus beneficio & mutua in Pontificem liberalitati; quod unum tamen maximè quærebatur. Itaque aliam inire viam placuit. Omnia vestigantibus & circumspicientibus venit in mentem prohibitum in decreto non esse, ne condiciones illi appositæ, & quæ illius abrogationem, reddebant longè difficillimam, tollerentur etiam interposita Principum deprecatione, quæ clausula in plerisque decretis legebatur: neque hanc videri generatim decreti vocabulis comprehensam ac significatam. Propositum igitur Senatui à Collegio fuit, uti de hoc dubio statueret. Habitus eam ob rem unam & deliberationem senatus est XIV. Kal. Februarias sub vesperam, exclusis pro more, ut suspectis, quibus filii aut fratres è clero essent: obseratis etiam foribus, ne victi radio senes dilaberentur, quorum auctoritate ac maturitate, juniorum ardor senatorum temperatur. Tenuit horas novem deliberatio: à prima ante solis occasum, ad multam usque noctem. Principio recitata sunt Acta, & eorum indicata quædam vitia, sed obiter, ne gratia beneficii conferendi exolesceret. Deinde auditæ sunt orationes quatuor uberrimæ. Dixerunt copiosè & ornatè pro Societate Joannes Pisaurus & Andreas Contarenus, ambo Equites, quod præcipuè illic dignitatis nomen, & Procuratores S. Marci: totidem alii contrariam in sententiam non minus acriter disputarunt. His auditis, vicit ea pars quæ censebat posse tolli ac porro tollendas esse condiciones decreto appositæ: qui primus ad reliquam causam aditus fuit, ac planè necessarius. Inde ventum ad negotii caput, & quæsitum, An restituenda in gratiam Summi Pontificis Alexandri VII. Societas videretur. Latis suffragiis, centum & sexdecim in albam conjecta capsam, affirmarunt: tria & quinquaginta in viridem urnam immissa, negaverunt; novemdecim fuere suffragia *non sincera*, ut Veneti loquuntur, quæ neque aiunt quidpiam, neque negant; sed rem in medio, & amplius examinandam relinquunt. Iis excipiendis capsula coloris rubri est destinata.

Die insequenti vocatus in Collegium Nuncius, responsum & exitum expectatissimæ deliberationis, privato primum scripto, deinde solennibus ad Summum Pontificem litteris Reipublicæ nomine confectis accepit. Litteræ statim ad Pontificem missæ, ad eundem octavo Kal. Febr. pervenere. Sic magna Alexandri VII. gloria, nec minori laude ac beneficio Reipublicæ; maxima Italia ac totius Orbis Christiani gratulatione, Societas Jesu Reip. Venetæ anno MDCLVII. feliciter est restituta.

125.
Restitutio Societatis in senatu decreta; & feliciter confecta.

S. VIII.
VEXATA SOCIETAS IN TRANS-SILVANIA.

* Vide Librum
XI. n. 3.

126.
Transsilvania
confectus.

* Anno 1558.

* Anno 1576.

* Anno 1581.

* Anno 1606.

127.
Religionis &
Societatis in
Transsilvania
status, usque ad
annum 1616.

* Anno 1003.

TRANSILVANIA, licet modicis finibus circumscripta, instar ingentis nihilominus theatri fuit, in quo religio catholica variis jactata casibus, modo ejecta, modo revocata, funesto demum exitu pulsa templis urbibusque cessit. Eandem ac Religio fortunam experta Societas est, ab indigenis, ab Arianis, à Calvinianis; ab ipsis Turcis foedè vexata. Juvat statum omnem hujus regionis paulo altius repetere, ut ista quasi fax lucem iis quæ dicuntur*, præferat.

Transsilvania jacet infra Poloniam: Hungariam habet ab occasu, Moldaviam ab ortu, Valachiam à meridie. Hanc circa annum à Virginis partu millesimum Hunni, qui postea Hungari appellati sunt, è Scythia prorumpentes, occuparunt. Inter septem illorum duces primarios eminebat, ceterisque velut imperitabat Gyula, sancti Stephani Regis Hungarorum primi, avunculus. Quem religioni Christianæ in Hungariam recens invecæ adversantem, & hostiliter infestum, idem Stephanus debellavit, ac Transsilvaniam regno Christi & suo adjecit. Ab eo tempore paruit Hungariæ Regibus Transsilvania, qui per Vavodas, hoc est præfectos seu gubernatores eam administrabant. Anno MDXXVI. Joannes Zapolya unus ex illis gubernatoribus, mortuo ad oppidum Mohatzium Ludovico II. Rege, principatum invasit, seque Regem Hungariæ appellandum ab una procerum parte in comitiis regni curavit. Sed altera meliorque pars comitorum, Ferdinando Archiduci Austriæ, Caroli Cæsaris fratri, cui Anna Ludovici II. soror nupsit, regnum detulit. Hinc bellum grave ac diuturnum, quod iis demum legibus compositum fuit, ut Zapolya Transsilvaniam totam, & certam Hungariæ partem cum titulo regis, donec suppeditaret vita, retineret: eo mortuo jus nomenque regni ad Ferdinandum rediret. Extinctus est Zapolya anno MDXL. relicto in cunis filio Joanne Sigismundo, quem susceperat ex Isabella Sigismundi Regis Poloniæ filia. Hæc Transsilvaniam possessionem cum sibi arrogaret, Ferdinandi armis victa cogitur in Poloniam se recipere, unde Turcarum opibus in Transsilvaniam reposita est cum filio Sigismundo, qui post obitum matris* principatum obtinuit usque ad annum MDLXXI. Tunc proceres Transsilvani Principem sibi imposuerunt, reclamante Rege Hungariæ, Stephanum Bathorium. Is postea* creatus Poloniæ Rex, Transsilvaniam fratri suo Christophoro Bathorio habendam tradidit. Successit* Christophoro filius Sigismundus, qui anno MDXCIII. Transsilvaniam Rudolpho II. imperatori cessit certis conditionibus. Sed statim mutata mente, principatum repetens, graves inconstantiæ poenas dedit. Post ejus obitum qui anno MDCIII. contigit, Rudolphus Imperator & Rex Hungariæ, Transsilvaniam recepit; nec eam tamen diu pacatam habuit. Quippe anno MDCIV. Stephanus Botrkajus collecta seditioforum ac Turcarum manu, ipsi bellum intulit, & magnam Hungariæ partem cum Transsilvania occupavit. Botrkajo susceptus est à* Transsilvanis Sigismundus Rakocius, qui turbarum ac bellicorum rædio principatum deposuit anno MDCVIII. Eum sibi vindicavit Gabriel Bathorius, ope Turcarum implorata: sed eorundem auxiliis frater Gabriel Bethlehemus Bathorium acie victum anno MDCXIII. deturbavit, ac Transsilvaniam usque ad annum MDCXXX. tenuit.

Aptus est è principum ac regnorum fortuna ut plurimum status religionis. Florent una, jacentque; perturbantur aut quiescunt. Inter tantos Transsilvania motus, tam crebras publicæ rei ac procellosas inclinationes, non potuit religio tranquilla consistere. Ac suspicari jure licet internecina bella & civiles discordias, quibus regio miserrima seculo toto laboravit, inde ortas esse, quod susceptam* à S. Stephano Rege Hungariæ catholicam Fidem, & per quatuor admodum secula feliciter conservatam, abjecisset. Hæreseos inducendæ hortator atque auctor anno MDXL. exstitit Petrovitijs, Joanni Sigismundo tutor datus, ut minorem pueri ætatem, ac Regiæ Isabellæ consilia regeret: homo clam Lutheranus primum, deinde palam Arianus. Religionis excidium timentes Stephanus Bathorius & Christophorus ejus frater, Societatem Jesu in Transsilvaniam induxerant anno MDLXXIX. collegia Claudiopoli & Albæ Juliæ fundaverant, magno catholicorum gaudio & emolumento; hæreticorum dolore non minori: quorum partes cum in dies numero & viribus auferentur; ab iis publico decreto comitorum expulsa

expulsa Societas Transilvania finibus est, anno MDLXXXVIII. Restituta fuit MDXCV. catholicorum suffragiis. Rursus Albam Juliam coacta deserere MDXCVIII. in eamque post biennium revocata. Sed anno MDCIII. collegium Claudiopolitanum ab Arianis funditus est eversum, homines Societatis expulsi, unus trucidatus. Illos Georgius Basta, missus à Cesare ad Transilvaniam recipendam, in eandem urbem anno sequente restituit; eiecit anno vix elapso senatus Claudiopolitanus, cujus decretum Stephanus Boriskajus & consecuti Principes confirmarunt, ac Societatem tota Transilvania exegerunt, Remanserunt tamen aliqui è nostris mutato cultu, ad colligenda religionis naufragia, & catholicos perditissimis temporibus omni ope sublevandos: donec anno MDCLXXXVII. reddita legitimis dominis Transilvania, & religio meliorem in statum reducta fuit. Jam singula quæ ad historiam nostram ab anno MDXCI. ad MDCXVI. pertinent, distinctius evolanda sunt.

Vocata igitur Societas in Transilvaniam à Stephano Bathorio, ejusque fratre Christophoro Bathorio, anno MDLXXIX. rem catholicam, Deo aspirante, feliciter gerebat, cum extinctus biennio post Christophorus, relicto impubere filio Sigismundo, spem & consilia hostium religionis erexit ad expellendam Societatem. Voti compotes facti sunt anno MDLXXXVIII. * & Sigismundus contumacia nobilitatis hæreticæ minisque fractus Societatem dimittere coactus fuit. Graviter tamen à Sixto V. admonitus, & hæreticorum factiones valescere sentiens, eam paulatim revocare aggressus est. Itaque P. Valentinum Ladum anno MDXC. arcessivit Claudiopolim. Anno insequente tres alios è Societate sacerdotes postulavit, in iisque P. Alphonsum Carillum spectatæ prudentiæ virum, de quo postea sæpe mentio recurrit. Redditum illis collegium quod habebat antea Societas Albæ Juliæ; placuit nihilominus ut abstinerent tantisper veste Societatis, & eam induerent, qua canonici vulgo utebantur.

Ut manum ultimam bene cœptis imponeret Sigismundus, comitia omnium Transilvaniæ ordinum in Kalendas Octobres anni MDXCI. indixit, nihil dubitans quin Societatis in integrum restitutionem impetraret. Eam ob rem adjungere sibi studuit animos procerum, qui auctoritate & gratia in hæreticorum partibus pollebant. Accivit etiam è Polonia patruelem suum Cardinalem Andream Bathorium, utque ad constitutum diem comitiis adesset rogavit, ignarus quantam religioni catholicæ perniciem pararet! Alienum a nobis animum Andreas habuerat pæne puer à Societatis adversariis. Accidit etiam perincommodè ut sub ipsum tempus quo in Transilvaniam à Sigismundo arcesseretur, Cracoviensis ecclesiæ, obitu sui antistitis vacuæ, insulas cupidissime ambiret, cum ipse Varmiensem obtineret sedem. Repulsam à Poloniæ Rege passus, eam assignavit Bernardo Golonio & Petro Scargæ Societatis sacerdotibus, quorum ille à confessionibus, hic à concionibus Regi erat. Excanduit multo magis, cum Scarga evangelium illud, ubi Christus pastorem se bonum nuncupat, exponens, ac de boni pastoris officio inter concionandum, audiente Rege, disserens, nimium venandi studium, & alia id genus parum decora præsulibus, incautè reprehenderet. Andreas in se jacta credidit, quia verè dici de se potuisse sentiebat. Inflammatus iracundia properat in Transilvaniam. Studia procerum ad Societatem restituendam excitata restinguit: accendit hæreticorum odia in Patres & in ipsum Sigismundum: queritur inductos ab eo in Transilvaniam sacerdotes Societatis aliena veste occultatos; attentari publicam libertatem, jura procerum violari. Quamobrem, ductis suffragiis, eò pars comitiorum major incubuit, ut indictum * in Megehsenti conventu religioni & Societati exilium novo decreto sanciretur. Datum id Principi duntaxat, ut Albæ Juliæ templum unum catholicis patèret, itemque unum & alterum aliis quibusdam in oppidis. Eò processit impiorum amentia, ut Transilvaniam in Turcarum fidem clientelamque conferre cogitarent, potius quam religionem catholicam in ea stare paterentur.

Clemens Pontifex infestis religioni conatus procerum inhibere meditans, idenixè P. Alphonso Carillio commendaverat, ut Sigismundum induceret ad ferendum in Turcas cum Rudolpho fœdus, Sigismundus, cognita Pontificis voluntate,

128.

Vocata in Transilvaniam Societas: mox ejecta.

* Part. V. Hist. ad an. 1588. n. 81. &c.

129.

Illam Sigismundus restituere conatur.

130.

Andreas Bathorius iterum eiciendam curat.

A. C. 1591.

Soc. 52.

* Lib. VIII. Partis V. num. 61. & seq.

131.

Sigismundus à Transilvanis proditur.

te, arma & consilia cum Casare, & Austriacis in communem religionis hostem junxit. Ægrè adducti sunt Transilvani, privatis addicti commodis, & à Casare non minus abhorrentes, quam à catholica religione, ut fœdus hoc ratum haberent. Itaque à Turcis invitati, & magnorum spe præmiorum illecti, in impium conspirant fœdus: ac de ipso Sigismundo Turcis necive dedendo jurant. Fingunt se in periculosum deductos locum, ubi sustinere hostium impetus nequeant, nisi suas ipsi cohortes properè submittat. Creditit; robor exercitus ad eosdem misit. Postquam copiis exutum vident, sibi deliberatum esse declarant redire ad partes & amicitiam Turcarum; ac, nisi cum ipsis in hoc fœdus juret, nihil ei tutum in Transilvania fore. Quid ageret Sigismundus? Dignum forti & Christiano principe consilium capit: negat se illis assentiri posse: malle principatum, quàm Casari datam & Christo fidem abjicere. Sed jurati cum exercitum haberent in potestate, miserum Principem eò adegerunt, ut fugæ consilium inire cogeretur. Discedenti Carillius occurrit: consolatur mæstum, jacentem, proditum à suis; & in spem fortunæ lætioris erigit. Confirmatus oratione Carillii Sigismundus, omisâ fugâ, scribit ad vicinarum arcium præfectos, opemque ipsorum ac fidem implorat: quorum auxiliis promissisque fretus, revolat Claudiopolim ad comitia, quæ factiosi indixerant, novum sibi dominum electuri. Terribi præsentia Principis (est enim omnis seditio timida, si resistere scias) demittunt animos, ac recens fœdus cum Casare idum integrari patiuntur. Sigismundus ulterius audendum ratus, introductis in urbem furtim octo militum promptissimorum millibus, conjuratorum duces comprehendit*: ex iis quinque palam capite plecti, alios clam tolli de medio, alios in exilium pelli jubet, omnium publicat bona, arces & oppida occupat, demum pia in Turcas arma feliciter convertit: quæ si pares initiis secundissimis exitus habuissent, non tam gravis in ipsum fuisset, ob irrogatam tot viris nobilibus pœnam, constata invidia; cujus etiam pars in Carillium redundavit, quasi atrocis auctorem consilii. Sed ille Ratisbonam jam pervenerat, cum hæc in Transilvania de conjuratis supplicia sumerentur: quæ sumpta esse suadentibus Gestio, Botksaio, ac Josica, testatur Panonicarum rerum scriptor locupletissimus*. Sane Cardinalis Bathorius, cum Octobri mense coram senatu Polonico in patruelè invecus est, de Carillio & Societate ne verbum quidem fecit: conjuratos vero jure cæcos videri, publico decreto ipsi Transilvani pronunciarunt.

A. C. 1594.
Soc. 55.

132.
Pœnas à proditoribus repetit.

* 28. Aug. 1594.

* Nic. Iſhuans.
Lib. 29.

133.
Restituitur cum Religione Societas.

A. C. 1595.
Soc. 56.

134.
Obitus P. Joannis Lelesii.

Fraçtis perduellibus, nova lux rebus perturbatissimis affulsit. P. Alphonfus Carillius, post navatam feliciter ad fœdus inter Casarem & Transilvanos componendum operam, quod fœdus cum ceteris legatis subscripserat, Græcium jussu Pontificis profectus est ad maturandas Sigismundi cum Maria Christierna Archiducis filia nuptias, quo vinculo fœdus arctissimè colligandum putabatur. Inde Albam sub Idus Apriles anni MDXCV. ad regni comitia cum legatis accurrens, in iis primo fœdus confirmandum; deinde catholicam religionem vindicandam in libertatem; denique Societatem postliminio restituendam curavit, abrogatis hac in parte comitorum Megesiensium Actis. Ita VI. Idus Maii redditum nobis fuit collegium Claudiopolitanum. Sigismundus injectas de P. Golinio Regis Poloniæ confessorio suspiciones, tanquam sibi Polonicis in comitiis adversato, vel neglexit, vel luendam omnibus Societatis hominibus noxam unius esse non judicavit. Malevolorum pariter sermones, qui è Gallorum in Societatem acerbitate odium nobis constabant Carillius discussit, & res prosperè contra Ottomanum gestas Sigismundo gratulatus, missionem ab aula enixè petiit; multum approbante Aquaviva, qui nostros ab aulico tumultu summo studio removebat. Sed utriusque votis adeo non favit Princeps, ut etiam Carillium sibi comitem adsciverit, ad Casarem properans ut Turcicum urgeret bellum, Polonicum averteret.

Carillii prudentiam & pietatem in constituenda religione, ac Societate restituenda æmulatus P. Joannes Lelesius, quasi votorum summam, hoc duplici opere feliciter absoluto, attigisset, paulo post cessit è vita. Primus è nostris Transilvaniam ingressus, Societatis in ea collocandæ præcipuus auctor exstiterat. Regionis tunc principatum obtinebat Christophorus Bathorius, cumque in septem-

ni filio Sigismundo magnam spem religionis catholice aliquando per eum stabi-
lienda, propter egregias pueri dotes, repositam haberet, ipsi morum ac bona-
rum artium magistrum tradidit Patrem Lelesium *. Ille, ut subditos futuro prin-
cipi similes pararet, eos ab errorum, qui Transilvaniam miserrime deforma-
bant, pestibus liberare studuit; effecitque apud regni proceres ut, siquidem
suas ipsi tenebras amarent, liberis saltem suis lucem veritatis ne inviderent. Nec
difficile persuasit: ea quippe infelicitum parentum sepe conditio, vel dementia
potius est, ut filiis suis pejores se esse non molestè ferant. Quamobrem regni
juventus nobilis, Claudiopolitani collegii non ita pridem constituti, scholas bre-
vi tempore implevit. Interea Principis regii moderator aulam hæresibus Calvini,
Lutheri & Arii diligentissime repurgabat; cum ei à scœmina primaria, ut pleri-
que tradiderunt, propinatum in convivio venenum est: quo remediis paulum re-
presso, lenta, dum vixit, paralyti constrictus, profligatam valetudinem agrè
sustentavit. Pergebat nihilominus exequi consilio & prudentia, quod præstare
viribus non ita facile poterat; ac teneram Sigismundi ætatem, usque ad annum
duodevigesimum feliciter institutam provexit, donec orta procerum impiorum in
religionem conspiratio Societatem, cumque illa Patrem Lelesium Transilvanis
eripuit *: Principe nequicquam oblucente, ac magistrum carissimum solita be-
nevolentia & subsidiis omnibus liberaliter prosequente. Viennam Austriæ digres-
sus, morbo recrudescente Patavinas aquas adiit, quibus cum minimè levaretur,
Lauretum devecus est, ubi prope ædem Virginis Matris, & velut in ejus com-
plexu, spiritum ultimum effudit anno MDXCV. * Hungarus erat, Quinque-Ec-
clesiis natus, oriundus tamen Varadino. Annos vitæ numerabat septem & qua-
draginta, Societatis decem & octo. Virtutes duas, in aulico Principum comi-
tatu insigniores, eximie coluerat, castimoniam ab omni vel levissima suspitione
intactam, & religiosam paupertatem. Itaque cum Principis opulenti liberalitate
ac benevolentia largiter uti posset, nihil ex ea in se derivabat, præterquam ad usus
vitæ necessarios. Cultus corporis, victus, ornatus cubiculi nihil ab ea tenuita-
te ac frugalitate discrepabat, quam nobis Instituti nostri leges præcipiunt.

* Part. V.
Anno 1584. n. 66.

* Supra. n. 128.
in Parte V. ad
an. 1588.

* Die 26. Febr.

Patribus Transilvanis in sedes antiquas restitutis additi sunt nonnulli ex Au-
stria decerpti & Polonia. Eodem accessit P. Joannes Majorius ex Italia, quò se
post Gallicum naufragium, contulerat; cum Claudio Vernelio, humaniorum nup-
er litterarum in collegio Nivernensi professore. Nam (ut id obiter notem) è
Patribus Gallia depulsis nullus in Hispaniam, contra quam inimicis persuasum
nostris erat; plerique in Lotharingiam, aliqui longius, ultra ipsas Alpes absces-
serunt. At P. Alphonso Carillio jamdudum in votis erat ipsam Transilvaniam,
& Sigismundi aulam relinquere. Pragam cum illo venerat incunte Februario
anni MDXCVI. unde scribens ad Præpositum Generalem Societatis deplorat for-
tem suam, qui tandiu jactetur in procelloso aulæ pelago. Voti compotem Sigis-
mundus, licet oratus sæpe, non fecit; imo Romam ire iussit, peticum à Cle-
mente Pontifice ut legatum in Poloniam mitteret, qui regem ad socianda cum
Cæsare ac Transilvanis in Turcas arma hortaretur. Missus est Henricus Cardi-
nalis Caetanus, cui Clemens P. Benedictum Justinianum adjunxit. Carillius vix
Romam ingressus proficisci jubetur in Hispaniam, unde necessaria detulit subsi-
dia, quibus erecti Transilvani pugnam felicibus auspiciis commiserunt, quam Hun-
gari à vicino pago Crestefianam, sive Kereshtinam, appellarunt; Turcæ illi no-
men ab Agria, quam haud ita pridem ceperant, & ad quam pugnatum erat, fe-
cere. Deleri poterat Ottomanorum exercitus, & ipse Mahometes conjectus in
fugam capi, nisi partam ac prope positam in manibus victoriam amisisset incon-
sulta prædæ cupiditas, & luctuosam in cladem convertisset.

135.
P. Carillius au-
lam frustra de-
ferere nititur.

A.C. 1594.
Soc. 57.

Has inter curas, etsi peritiles religioni ac prope necessarias, Carillius aliud
majoris ad Ecclesiæ Transilvanicæ præsidium ornatumque momenti agitavit, de
proprio Episcopo regioni tribuendo; qui sederet Albæ Juliæ, ac Fidem catholi-
cam præsentii majestate atque auctoritate contineret. Consilium approbavit Sigis-
mundus: nec diu deliberavit quem huic muneri destinaret. Ipsum Carillum no-
minavit. Idem Apostolico Nuncio placebat. Unus dissentiebat Carillius, diffi-
densque

136.
Episcopatum
Transilvanie
recusat.

denſque cauſam apud utrumque obtinere ſe poſſe, Viennam & Pragam alio quodam nomine ac prætextu aduolans, perfecit ut Demetrius Napragius ea dignitate, cui parem illum ſua virtus fecerat, ornaretur.

Inter hæc ingens facta rerum inclinatio. Sigifmundus ſeditionum domeſticarum, atque adeo belli tædio victus, & innata ductus inconſtantia, de abdicando Tranſilvania principatu cogitavit; ipſam quoque conjugem, à veneficis, ut creditum eſt, fascinatus, cœperat averſari. Quare Carillum miſit Pragam, ad Cæſarem de ſuo deponendi principatus conſilio certiore faciendum. Eodem ipſe poſt paulo profectus, cum perſtaret in propoſito, affirmaretque ſe Poloniſ Turciſve poſſeſſionem regionis daturum, ſi de illa tranſigere ſecum Cæſar abnueret; in iſtas leges denique ambo convenerunt, ut Tranſilvania cederet in Rudolphi juſ ac ditionem; ipſe Oppolitanum in Sileſia Comitatum, & certam numerorum penſionem acciperet. Ejuſmodi pactionem anno MDXCVIII. convocatis ineunte Aprili Tranſilvania comitiis ſignificavit, populumque ſacramento ſolutum, Rudolpho ejuſve præfectis parère juſſit; ac demum in Sileſiam paucis poſt diebus ſeceſſit. Ibi privatus è Principe, ſolus, extorris, ignotusque, ſe reſpexit, & abjectam temere dignitatem repetere conſtituit. Ergo, ſe deluſum à Rudolpho queſtus, redit Claudiopolim exeunte Sextili anni MDXCVIII. & à ſuis Tranſilvanis in principatum reſtituitur, nonnullis tamen propoſitis conditionibus; ac duabus nominatim; unâ, ut Societas Claudiopoli & Alba Julia pelleretur; alterâ, ut quam Patres habebant adem ſacram Albæ, illa hæreticis traderetur. De aliis omnibus, præterquàm duabus iſtis conditionibus Princeps initio conſenſit. Verum, cum inſtarent religionis hoſtes, cedendum ex parte ratus iniqua poſtulationi ac tempoſi, templum hæreticis tradere omnino renuit; quin Patres Alba Julia recederent ad breve tempus, non reſuſcitavit: litteras tamen illis ampliffimas innocentiaſ teſtes dedit; ac poteſtatem fruendi veſtigialibus collegii, dum abeſſent, fecit: iis demum anno ſequenti collegium ipſum reſtituit.

Quemadmodum Clemens Pontifex abdicacionem Sigifmundi nunquam probaverat, ſic ejuſdem in priſtinum gradum reſtitucionem non valde improbat, modo Cæſari, & ejuſ fratri Maximiliano, cui Cæſar Tranſilvaniam deſtinabat, ſatiſfieret. Ad eos igitur Carillum continuo miſit, qui Viennaſ Cæſarem, Caſſoviaſ Maximilianum; Sigifmundum prope Claudiopolim allocutus, ſuggeſſit ea ſingulis, qua in rem eſſe videbantur. Apud Cæſarem nihil admodum promovit. Is enim, ut Tranſilvania poſſeſſionem iniret ex fœdere, parabat bellum: cujuſ terrore fractus Sigifmundus de abdicando iterum principatu cum ſuis deliberavit. Illi, quibus inviſa domus Auſtriaca pietas & potentia erat, eum perpulerunt, ut, ſi principatum deponere ſtauiſſet, hunc potius in gentilem ſuum & patruelem Andream Bathorium Cardinalem transferret, quàm alienis manciparet. Accitus conſeſſim Cardinalis, & Tranſilvania Princeps appellatus, indicit comitia in menſem Octobrem anni MDXCIX. Convenerant hæretici frequentes, ad religionem penitus evertendam conjurati. Impiorum conatus Providentia Numinis inhibuit. Vix inchoatis comitiis, aſſertur Michaelem Valachiaſ vaivodam, aſeſſe cum exercitu, ad eam, ut aiebat, Cæſari vindicandam; & ſuperatis montium anguſtiis, imminere. Trepido nuncio conſternatus Andreas Cardinalis cœtum abrumpit, & collectis raptim ſex aut ſeptem armatorum millibus, reliquis quamprimùm concurrere ad ſigna juſſis, obviam Vaivodaſ procurrit. Atrox prælium quinto Kalendas Novemb. commiſſum in campis Cibinienſibus. Victus Cardinalis, & ægre ſubductus è pugna, dum paucis comitantibus, per avia montium qui Moldaviaſ & Podoliaſ à Tranſilvania dirimunt, oberrat, ab opilione, ſive, ut alii ſcribunt, ab hoſtibus fugientis veſtigia prementibus obruncatur, pridie Kalend. Novemb. natus annos tres & triginta. Victor Valachus Albam Juliam triumphantis more eſt ingreſſus. Graſſantibus per licentiam militarem in ſacra pariter ac profana Vaivodaſ copiis, collegium Albenſe direptum fuit, ac fœde vaſtatum; excuſante Vaivodaſ temporum acerbitatem, & plura ereptis redditum iri pollicente.

Inte-

A.C. 1598.
Soc. 59.

137.
Sigifmundus
abdicatum Prin-
cipatum reſu-
mit. Societas
iterum pellitur.

138.
Cardinalis Ba-
thorius Tranſ-
ſilvania Prin-
ceps creatur, ac
paulo poſt cædi-
tur.

A.C. 1599.
Soc. 60.

Interea monitus ut Transilvaniam Cæsari restitueret, cunctabatur, illius retinendæ vias captans. Cunctantem Georgius Basta, Cæsariani ductor exercitus, morem gerere coegit, ac religioni favere. Ubi opportunitate Patres Valentinus Ladus, & Thomas Domannus, Varadinum sunt profecti, ad opem catholicis ferendam; quibus etiam ut templa duo ab hæreticis usurpata redderentur, effecerunt. Vicem reddidere catholici proceres, & in regni comitiis multa laude Societatis modestiam ac patientiam profecuti, eam in pristinum statum & collegia reposuerunt. Spes lætissimas restituendæ similiter ubique religionis inconstantiæ Sigismundi profligavit. Ille privatam pertæsus vitam, & adversus Austriacos concitatus à suis, rursus Principis nomen & personam * sumpsit. Occurrit Georgius Basta, cum Michaelè Valacho. Pugna quinto ab Alba Julia lapide committitur. Fusi cum Sigismundo Transilvani. Victor Cæsaris exercitus irrumpit in civitatem. Milites hæretici Michaelè, qui partem copiarum ducebat, non invito, cuncta sacrilegiis & cædibus impleverunt. Direpta templa, eversæ aræ, sacræ imagines laceratæ, proculcata sacrosancta mytheria, nec parvum quietis cineribus monumentisque mortuorum. Remanserant in Albæ Juliæ collegio sex è nostris. Factus in eos à sceleratis impetus. Spoliati, raptati, vulnerati, pertrahuntur in custodiam, ubi necem & rogos, quibus a Michaelè damnati dicebantur, expectabant animi æquitate summa. Sed catholica Belgarum cohors, monito properè Basta, Patres eductos carcere Claudiopolim deducendos curavit. Nec inulta diu scelera Michael tulit. Accusatus ob victoriam superbè & crudeliter exercitam; vocatus etiam in suspicionem initæ ad occupandam Transilvaniam conjurationis, meritas, jubente Basta, pœnas Superis hominibusque perfolvit. Pacatis tuisque Sociis esse Claudiopoli non licuit. Sigismundus reparato exercitu, & adscito in belli societatem Moysè Siculo (est Sicalia Transilvaniæ provincia, Valachiæ finitima) duce Arianorum ac patrono, Claudiopolim obsidione cinxit. Hyems erat asperissima: miles disciplinæ parum tenax: obsessi strenuè repugnabant. Offensus tot rebus adversis Sigismundus, cum Georgio Basta pacificitur, exercituque & principatu in perpetuum relicto, concessit in Bohemiam; ubi quod superfuit vitæ privatus egit, clarior & felicior onere deposito, quod humeri ferre non poterant, quàm gesto. At Moyses, collectis Arianis, fretus etiam Turcarum ac Tartarorum auxiliis, bellum redintegravit contra Cæsarianos; & occupata Transilvaniæ parte, Claudiopolim infestis agminibus petiit. Plurimum in hac urbe ac tota Transilvania poterant Ariani, & catholicos crudelissimè vexabant. Quo pacto regionem hanc & vicinas invaserint, breviter exponam: ab iis enim ortæ sunt potissimum calamitates Societatis, quæ Christi nomen ac numen prædicandum præcipuè sibi sumit.

Arianam hæresim, post octingentos septuaginta annos *, quàm sepulta videbatur, excitavit initio seculi decimi sexti Michael Servetus, Tarraconensis medicus. Inter varios resurgentis sectæ discipulos nactus est Georgium Blandratam Pedemontanum. Is è Ticinensi custodia sacræ Inquisitionis elapsus ad Transilvanos, in aulam Joannis Sigismundi penetravit, artis medicæ, quam profitebatur, beneficio. Clam primo quidem irrepererat ac timidè, ob Reginæ Isabellæ metum, atque adeo ipsius Solimanni Turcarum imperatoris; qui, cum per id tempus Sigismundum in Transilvaniæ solum reponeret, novis religionibus pacem & concordiam turbare solitis aditum præcludi omnino jusserat. Solimanno & Isabella extinctis, Blandrata impune sceleratum dogma sparavit; proceres, ipsumque regem induxit, ut ejus patrocinium palam & apertè fusciperent. Sic Arii redivivus error in infelicem Transilvaniam invehctus est *. Conscripta protinus adversus SS. Trinitatem volumina, corrupti sacri codices, & varias in linguas mendosè conversi, præsertim in Hungaricam, ut viritim legi possent à populo, venenumque facillime ab incautis mentibus, aureo sacrarum litterarum poculo propinatum biberetur. Stephanus & Christophorus Bathorii Societatem, quemadmodum supra memoravimus, in Transilvaniam acciverunt, eo potissimum consilio ut funestum hæreseos renascentis incendium extinguerent. Ariani vicissim sociatis cum Lutherano & Calviniano agmine copiis, eam oppugnare non destiterunt.

139.
Societas rursus restituitur: mox ad hæreticis vexatur.

* Anno 1601.

* Ab an. 660. ad 1530.

140.
Quo pacto in Transilvaniam irreperint Ariani.

* Spond. ad an. 1566. Florim. Raim. lib. II. c. 15.

terunt. Magnam illis vexandæ religionis facultatem dedit Sigismundi Bathorii, de quo proximè dicebamus, levitas & inconstantia, præsertim cum Moysem, Siculiæ Principem, Arianum, auxilio contra Cæsarem vocavit. Is enim, postquam Sigismundus bello & principatu deposito, in Bohemiam se recepit, incepta persequens Claudiopolim obsedit anno MDCIII. Urbem obtinebant magistratus Ariani, qui amicum hostem portis patentibus exceperunt ea conditione, ut liceret ipsis de collegio Societatis arbitrato suo statuere. Quid optatius Ariano duci accidere poterat? Ultero annuit, & in urbem hac lege admittit V. Idus Junias anni MDCIII. collegium immanitati Arianorum permittit. Illi cum Moyse militibus in aedes nostras irrumpunt, antiquo in Dei Filium, ejusque Divinitatis defensores odio incensum.

S. IX.
EMMANUEL NER-
IUS MACTATUR
AB ARIANIS.

A. C. 1603.
Soc. 64.

141.
Claudiopolis de
hostibus recepta
Pulsi Ariani.

PRIMUS impiæ crudelitatis furor in templum se effudit. Deiparæ sacramentum imaginem maledicis & contumeliosis confixam vocibus deturbant, proterunt, securibus comminuunt. Violatis pari scelere sanctorum simulacris, in sanctum sanctorum sacrilegas cum horrendis clamoribus injiciunt manus. Divinam hostiam, perfractis aræ augustis penetralibus, avellunt, spargunt humi, pedibus proculcant. Non tulit execrandam impietatem Emmanuel Nerius, domesticæ rei adjutor, è Societate, & aedis sacræ custos. In medium agmen furentium solus & inermis ruit; ac sceleratos cohibere, demonstrata sacrilegii gravitate conatur. Vociferantem invadunt, idolorum cultorem & Papicolam clamitant; unus fronti validam securim impingit: alter glande plumbea transfixum dejecit. Jacuit supra sacrum Domini sui corpus inter adorandi Sacramenti particulas consecratas, quibus stratum pavimentum erat: felix morte sic oppetita, dum Christi JESU Divinitatem, & cœlestis veritatem mysterii propugnat. Annum ætatis attigerat nonum duntaxat & vigesimum. Romam è Pedemontio, quod illi natale solum fuit, profectus, & Societati adjunctus inter domesticæ rei adjutores, anno MDCI. femina optimæ indolis coluerat maximarum exercitatione virtutum, ac præsertim ardentissimæ caritatis, quæ illum dies noctesque stimulabat, ut fufum pro se Christi sanguinem pensaret suo. Hac virtutis ejus fiducia ducti Societatis præfides illum Transilvanis Sociis, cum maxime flagrarent omnia bellicis terroribus, addere non dubitarunt. Nec solus tamen Arianorum furores ac tela exceptit. A templo in collegium reliquum convolantes occurrentem è nostris Georgium Bartolicum malè multant fustibus, & ruptis duabus costis semianimum sternunt. Quibus ille vulneribus debilitatus vitam in summis doloribus traxit usque ad annum MDCXV. Patrem Petrum Majorium, virum eximia virtute, qui Claudiopolim nuper incendio & vastitate prohibuerat, graviter vulnerant; ægrotos excutunt cubilibus, raptantque; ceteros plagis & maledictis extrudunt foras; ac demum direpta & vastata tecta solo æquant: stolide gloriantes expetitas à Numinis violatoribus poenas, & plurimum cultores Deorum urbe sua pulsos.

Haud impune scelus impiis stetit. Moyse duplici prælio profligatus, in acie cecidit, cum præcipua Transilvaniæ nobilitate. Claudiopolis tertio post mensē quam venerat in hostium manus, recepta; senator qui nefarium foedus cum Ariani civitati persuaserat, ex infelici arbore suspensus; postremo, in locum everfarum ab iisdem Ariani adium, alia in urbe domus Societati data. Conjecti fuerant ex impia militum caterva in carcerem plurimi, quorum efferata rabies in templi direptione & gymnasii potissimum desæviera; ac præter ceteros ille, qui stillantem Emmanuelis sanguine securim attollens, illatam innocentissimo juveni necem, tanquam facinus inclytum prædicaverat. Sacrilegos egregie ultus est P. Joannes Argentus, qui vices Provincialis obibat in Transilvania. Evicit enim gratia & precibus apud Bastam, ut omnibus parceretur. Pater vero Majorius, collegii rector, nunquam se induci passus est ut sicarium, à quo gravissimum in capite vulnus acceperat, quamvis probe cognitum, indicaret. Ariani interim diffugientibus, rediit sua catholicæ religioni libertas ac securitas. Divinum Christi corpus per festam urbem solenni supplicatione deportatum est. Umbellam gestabat gubernator: præibant lecti de collegio pueri ducenti, pars angelorum induti cultu, pars onusti floribus, quibus viam consernebant: tota civitas

civitas effusa sequebatur, collacrymantibus plerisque, præsertim senibus, qui eandem carimoniam ante annos ferme quinquaginta (nam ex eo tempore sublata fuerat) vitam a se narrabant & usurpatam; confirmantibusque, cum catholici ritus vigerent in Transilvania, neque Turcarum in ea nomen auditum, neque infandam, quæ tunc sæviebat, famem aliquando toleratam.

Ea portenti similis fuit. Passim animalium putridis, si qua occurrebant, cadaveribus avidos insigebant dentes, & miseram dapem rabidis canibus præripiebant. Frater sororis mactatæ partem alvo famelicæ ingessit, partem in macello venalem proposuit: alius nepotes, alius filios, ut ingluviem diram expleret, trucidavit. Inventus in pago deserto puer prope cadaver humanum, cujus præter ossa & extremos pedes, reliquum nihil erat: interrogatus cujus esset, maternum respondit, & à se canibusque devoratum. Si quis fureifer tollebatur in patibulum, convolabat pauperum exangue agmen de corpore litigans, quod inter se divisum crudis dentibus in vestigio absumerent. Lupi medias in urbes urgente fame compulsi, filios à parentum sinu cunisve rapuerunt. Accedebat, ad mali cumulum, lues tanto pertinacior quanto illam minus Hungari ac Transilvani cavent. Hanc enim castigandis mortalibus à Deo immitti dicunt, ac proinde nefas arbitrantur idcirco solum vertere, aut pestiferam laborantium consuetudinem vitare. Sic aliqui è nostris extincti, ne darent ansam exprobrandi, quod velut mercenarii pastores, majorem salutis suæ, quàm alienæ curam gererent. Nonnulli, quorum opera minus necessaria Claudiopoli videbatur, in Poloniam se receperunt. P. Joannes Argentus collegio Claudiopolitano, post obitum P. Majorii, ac toti deinde provincie præfuit. Albæ Juliæ utilitatibus civium impigrè serviebat P. Michael Mardtus, unus multorum instar: nam linguas Hungaricam, Germanicam, Græcam, Latinam, Italicam, & Polonicam callebat. Ingenium viri & solertia præsertim elucebat in sedandis offensionibus muris procerum & ininicitis. Itaque cum ad revocandam duos inter nobiles concordiam iter necessarium suscepisset, incidit in prædonum manus, ab iisque in flumen cum socio dejectus est X. Kal. Maias MDCIV. Nihil de utroque præterea compertum.

Transilvaniam nomine Cæsaris administrabat Georgius Basta. Sed proceres veteri adversus Austriacos & religionem odio incitati, pulso Basta Stephanum Botkajum, Sigismundi Bathorii propinquum, sibi præferunt: quem etiam regem Turca dixit anno MDCV. Ille tanto avidior confirmandæ auctoritatis & potentie, quanto deterius parta erat, viribus hæreticorum maximè utebatur, quorum partes numero & audacia pollere cernebat. Ut vero catholicos in invidiam adduceret, libellum promulgavit, in quo certis auctoribus exploratum sibi esse affirmabat Summum Pontificem & Cæsarem id concordibus animis atque armis moliri, ut omnes à Romana Fide alienos exterminarent, eorum discescerent bonis, & imperii sui fines ambo proferrent. Ad hoc tam immane periculum propulsandum se arma sumpsisse: ne dubitarent sequi præeuntem, & sacra patriamque, se duce, defenderent. Hoc veluti classico excitati cum Transilvanis Hungari corripere arma, & relicto Cæsare Botkajum secuti sunt. Destitutus magna copiarum parte dux Cæsarei exercitus Belgioiosa funditur: bellum crudescit. Civitates quæ stabant adhuc in Cæsarianis partibus, ab iis palam desiciunt: quas inter Claudiopolis ita se Botkajo dedit, si religionis summam penes Arianos esse unos vellet. Assensit facile Botkajus, incertum Calvinianus an Zuinglianus, parum certè sollicitus quæ religio, modo ne catholica, regnaret. Statim inter Arianos deliberatum de pellenda Societate. Postulat eorum instinctu Princeps ut bona quædam & ædificia, oppidanis erepta, ipsis restituantur. Significabat his verbis eam domum, quæ post eversum anno MDCIII. collegium, Societati fuerat publicè attributa. Vocatus in senatum P. Joannes Argentus*, qui collegii & provincie gerebat curam, respondit causam hanc nequaquam ad se pertinere, qui nemini quidquam rapuisset, aut ereptum teneret; quique ita semper fuisset comparatus, ut amittere sua mallet, quam tollere aliena. Tum verò senatores aperte quam ædificia & bona essent illa, declararunt: nempe domum in qua scholas Patres haberent, ædem sacram, & nescio quid prædii. Quibus P. Argentus

142.

Fames ac pestilentia Transilvaniam populantur.

143.

P. Michael Mardtus à sicariis interficitur.

144.

Stephanus Botkajus Religioni ac Societati bellum indicit.

*Vide illius Commentarium de rebus in Polonia & Transilvania scilicet. cap. 14.

præsenti animo: Non video, inquit, qua ratione hæc civibus erepta dicatis esse, quæ Societati fuerunt à legitimo magistratu, vobis assentientibus, donata. Subjecit non esse alium hujus controversiæ judicem quàm Principem ipsum, qui juratus promiserit, se in re tanti momenti nihil mutaturum, sed in regni comitiis, utraque parte audita, sententiam dicturum. Ad extremum senatores obsecravit, ut pro sua æquitate perpenderent quid jus & ratio postularer: nonnulla etiam in ipsos & civitatem universam promerita Societatis exposuit. Movit senatores hæc oratio, præsertim catholicos; qui ferentes graviter injuriæ indignitatem, senatu palam excefferunt. At eorum discessu ceteri audaciores facti, susceptum Societatis ejiciendæ consilium urgere decreverunt. Itaque paucis post horis certos homines allegant ad P. Argentum cum mandatis haud mollibus: Senatam velle, jubere, ut quadriduo ædibus ac civitate cum suis cedat: illis ad quartum usque diem impune fore. Perit Argentus semel iterumque ut sibi perscriptum hoc mandatum daretur. Cum exorare nihil posset, ad exuenda raptim altaria, & nudandum imaginibus, ne patèrent injuriæ, templum se accinxit. Ingemuit quidquid in civitate catholicum ac sanum restabat. Circumfusam plebem consolatus Pater, affirmansque amisso templo Deum non amitti; post lugubres aliquot psalmos ante majoris aræ locum recitatos, & infixæ pavimento non sine lacrymis oscula, sacram ædem deseruit. Ovantes hæretici, tanquam in arcem deditam iruperunt, & quidquid ornamenti supererat, foede comminuerunt. Nam Ariani sacris in ædibus nihil, præter suggestum oratoris & auditorum sedilia, esse patiuntur. Argentus iterum senatores allocutus, cumque illis liberè non minus quàm modestè vim illatam questus, nihil præter superba fastidia & silentium minax retulit; ex quo planè intellexit esse demigrandum. Igitur XIV. Kal. Sextil. vergente in occasum sole, ne dato quidem ad supellestem domesticam asportandam spatio, abacti Patres, paucis catholicis mæore summo prosequentibus, deducti sunt, ne qua multitudini daretur occasio seditionis, à militum globo in vicinum pagum Monostorum.

145.
Societas ejicitur
Claudiopoli.

A. C. 1605,
Soc. 66.

S. X.
SOCIETATIS CAUSA IN TRANSILVANIA COMITIIS DISCEPTATA.

Botzkaius interim sub Idus Sextiles Claudiopolim est ingressus, ut coronam ab Achmete Turcarum imperatore missam acciperet. Eo annuente P. Joannes Argentus medio in confessu procerum & senatorum pro Societate Claudiopolim revocanda peroravit. Ac primo quidem prudenter amolitus, quæ in eam falso & invidiosè jactabantur, ejusdem statum infelicem ob oculos posuit, cum tamen aliud nihil ipsa, ex quo in Transilvaniam erat accepta, quævisset, nisi ut publicæ tranquillitati, saluti civium & commodis, præsertim Claudiopolitanorum, confuleret. Obtestatus deinde Principem est ut ejectam restitueret, ac patrocinio suo tegeret. Gratias egit Botzkaius pro tam proluxa Societatis in cives voluntate, & Patrem bono animo esse jussit: quia res tamen majoris momenti videbatur, communicandam dixit cum iis quorum interesset: sibi quidem Societatem cordi semper & curæ futuram. Hæc ille satis humaniter. Sed verbis facta non responderunt. Et affirmaverat aliàs ipsi P. Argento, deliberatum sibi esse Societatem exigere, quia catholicam religionem in Transilvania sustentaret. Tamen causam ad comitia regni, ut promiserat, retulit, eamque ibi disceptari passus est. Ea tunc habita sunt in oppido Medgyesinensi ob loci opportunitatem. Oratores duo, Arianus alter, alter Calvinista, veteres inimicitias & dissidium religionis oblitæ, convenerunt ut contra Societatem frequentissima concione declamarent. Non deterritus adversariorum pertinacia & atrocitate P. Argentus libellum supplicem comitiis offert: illis præerat Traufnerus, catholicarum partium defensor acerrimus; qui recitato supplice libello nos, si legibus & æquitate causa penderetur, ejici non posse demonstravit. Collecta suffragia. Victa est numero plurium & improbitate causa; confirmatum Societatis exilium; illique tota Transilvania interdictum, Existimavit Argentus vivam vocem plus fortasse roboris, quàm libellos supplices, habituram. Dicendi veniam impetravit: dixitque per sesquihoram summa omnium Ordinum frequentia, quæ solito major eo die * convenerat; ad Principem inaugurandum. Viri eloquentiam, constantiam animi, defensionis veritatem omnes laudayerunt. Erecti hac oratione, qui prius conticescebant, catholici

* die 14. Septemb.
1605.

tholici partes nostras publice tutati sunt: cumque de referendis ad Botskaium decretis, ut ea confirmaret, ageretur; tanta est altercatio coorta de illo capite, quod Societatem spectabat, ut, quia decideri nihil poterat, res integra fuerit Principi permissa.

Botskaius dolere se vehementer significavit, quod Claudiopolitanos senatores tam infensos Societas haberet: daturum se operam ne quid in eam præter jus & æquum statueretur: deliberaturum cum proceribus. Interea cum iter illi esset in Hungariam necessarium, vetuit ne quid novi constitueretur, donec rediret; ac ratum esse iussit quod in comitiis de Societate fuerat sancitum. Cessit illa tum quidem Claudiopoli; in reliqua tamen Transilvania, præter omnium opinionem aliquandiu constitit: & religioni catholicæ libertas utcumque mansit. Gratias egere præpotenti Deo Patres, & in pago Monostoro eadem quæ in civitate munia obierunt, confluyente ad eos ex oppido tanta catholicorum multitudine, ut iis capiendis angustus pagus esset. Botskaius in Hungariam accelerans Transilvaniæ præfecit Sigismundum Rakocium, dynastem Hungarum, qui ejusdem Transilvaniæ principatum postea obtinuit. Is Albam Juliam statim profectus, magnum agmen Calvinistarum, quibus Fidei magistris utebatur, secum duxit. Subsecutus est P. Argentus, metuens ne collegium Societatis occuparent, quod ægerime anno MDCIII. fuerat servatum, quo tempore Moyses Siculus Albam Juliam cum suis Tartaris obsidebat. Erat ea civitas ita composita, ut pars interior muro septa esset, exterior, quæ multò latius patebat, mœnibus careret. Germani qui pro Cæsare urbem præsidio tenebant, cum exteriorem partem defendere non possent, incendio deleverunt, ne hostis illa uteretur. Ignem retorserunt hostes in partem urbis interiorem, tantamque vim ardentium missilium injecere, ut illa quoque pars prope tota deslagraverit. Collegium inter tot busta incolume stetit, quamvis uno die sexies aliquando ignem variis in locis conciperet. Diceres beneficam Numinis Providentiam eo potissimum invigilasse, ut scholas Societatis, quæ solæ in Transilvania catholicæ tunc erant, quasi religionis seminarium, reserveret. Divino diu frui beneficio per hominum impietatem non licuit.

Pertæsus Cæsar tot seditionum ac tumultuum, certas condiciones pacis obtulit Botskai. Eas ille comitiis dedit examinandas. Convenere proceres, nec abfuerunt hæreticarum partium ductores præcipui: qui, cum æstuarent odio in Societatem; ejusque fortunis, etsi erant perexiguæ, inhiarent; petierunt ut decerneretur ne quis sacerdos ullum in Transilvania fundum possideret. Rejecit iniquum postulatam catholica nobilitas, ducibus præsertim auctoribusque Trausnero, & Sarmasagio, viris catholicæ Fidei deditissimis. De petitione dejecti confugiunt ad Botskajum: refutant veteres adversus Societatem calumnias, multa indignissimè comminiscuntur: monent graviora instare pericula, nisi perniciosorum hominum conatus maturè coerceat. Botskaius scriptis minacibus ex Hungaria, ubi tum degebat, litteris, Socios omnes Alba Julia, & aliis quibusdam oppidis intra quintumdecimum diem excedere, & in certum, quem iis assignabat, locum se recipere jubet: * Patres Joannem Argentum, provinciæ Societatis præpositum, & Georgium Kaldum arcessit, rationem de objectis criminibus reddituros. Venerunt ad eum Cassoviam *. Satis benignè in speciem acceptis renunciat Societati cedendum universâ Transilvaniâ: non posse aliter placari incensa hominum in eam odia: se illis hæctenus obstitisse; nunc eo rem deductam, ut obanti ultra non possit sine periculo & nostro & suo. P. Argentus refutavit acriter quæ objiciebantur: nullam à nobis injuriam neque in Principem, neque in regnum ortam esse demonstravit. Nihil responsi tulit aliud, quàm fieri aliter non posse. Perditam nempe jamdiu Societatem Botskaius cupiebat, & quo die de illa pellenda deliberatum fuit, Franciscum Alaghium catholicum nobilem, arcanorum conficium, admonuit ut abesset à senatu, quia contra Papistam ferenda erat sententia: idque apertius altero post mense declaravit, cum, instante morte *, se merito plecti exclamavit, quòd Societatem Transilvania exturbasset. Interim, famam æquitatis ambiens, veniam asportandi quæ vellent, Patribus dedit: & præsidio militari stipatos, per infesta latronibus itinera, in Poloniam deduci iussit.

Argen-

A. C. 1606.
Soc. 67.

* Die 20. Sept.

* Die 23. Octobr.

146.
Botskajus cedere Societatem universâ Transilvania jubet.

* Die 26. Dec.

Argentus cum suis Alba Julia discedens, ad infinitam hominum multitudinem pro tempore verba fecit: recitatisque publice precibus, quibus sanctorum opem implorare nominatim Ecclesia consuevit, ad Fidem pacemque retinendam cohortatus est. Gemitus & lacrymae perorantem exceperunt. Collegiorum nostrorum ac templorum bona partim in amicos, partim in pauperes, quantum in Sociis fuit, distributa: cetera direpta & fisco addicta. Patres Cracoviam extremo Decembri pervenerunt. Superiori mense alii tres Varadino discesserant, post navatam per triennium Belgis & Germanis militibus, qui locum tutabantur pro Caesare contra Botskaium & ejus Hungaros, operam, utilem illam quidem, ac laboriosam, inter militares arumnas, diram famem, ac morborum inauditorum incursum; quibuscum tandiu nequicquam luctandum fuit, dum eorum causa latuit. Detecta tandem est. Sagae amplius quadraginta Varadinum e variis locis accesserant, conjurata in mortalium perniciem cohors. Dicebantur secum invexisse nocte intempesta, unum ex Ercebi Principibus, qui aspectabili & regia indutus forma, curru triumphantis in morem vehens, in arcem subierat. Ejus ope aërem, aquas, vias ipsas infecerant. Saviit biennio toto per omnem exercitum veneficarum immanitas, & hominum duo millia paucis mensibus extinxit. Hos oculorum, illos pedum usu privabat: aliis foede os intumescens putrescebat: aliis collidebantur tremuli artus, nervi contrahebantur; caput pectusque miserè debilitabatur. Postquam origo mali cognita fuit ex aliquot veneficis deprehensis ac supplicio affectis, indicta supplicatio solennis est: putei, viæ, vestes consuetis lustratae precibus & expiatae. Sic aeri salubritas pristina, sanitas aquis, agris valetudo, morientibus vita viresque redierunt. Sed cum numerus militum esset majorem in modum imminutus, coacti sunt Caesariani arcem Hungaris Botskaianis permittere, cumque illis Patres Novembri jam senescente demigrarunt.

§. XI.
SIGISMUNDUS
RAKOCIUS INDI-
CTUM A BOTSKA-
IO SOCIETATI
EXILIUM CON-
FIRMAT.

A. C. 1607.
Soc. 68.

147.
Ejus testimonium
de Societate.

§. ultimo.

MORTUO Botskaio, infelicis provinciae tot calamitatibus, ob violatam toties Superis fidem, laceratae regimen accepit Sigismundus Rakocius Hungarus Calvinianus, postulantibus Transilvanis, & Austriacis approbantibus; licet ad eos rediret jure Transilvania, Botskaio sine liberis mortuo. Sed Rakocii mite ingenium spem fecerat revocanda, atque alenda in Transilvania & Hungaria pacis, cui jura sua bene condonari Rudolphus Caesar judicavit. Ejus frater Matthias, tunc Archidux Austriae, postea Hungariae & Bohemiae Rex, ac denique imperator, nihil prius a novo Transilvaniae Principe postulavit, quam ut ejectam a Botskaio Societatem JESU restitueret. Eam ob rem cum ad eundem Rakocium profectus esset P. Argentus, qui Societati praeerat his in locis, respondit ille quidem aequum postulari, sed rem ad comitia, quae Claudiopoli habebantur, esse referendam. Argentus in comitorum confessum vix admissus, causam Societatis egit. Vicerat, si audiri veritas aequitasque potuissent. Sed adversarii tanto saviores, quanto minus habebant quod responderent, furere, tumultuari, clamoribus inconditis implere omnia. Cumque essent audacia & numero validiores, Societatem his verbis proscribere: *De religione deliberavimus, ut juxta articulos antea editos, omnes in sua religione sine impedimento conserventur: sed Societatis JESU secta à ditione illustrissimi Principis excedat. Assensit comitiis Princeps, testatus tamen Patres Societatis JESU non ob ullum delictum, verum ad instantiam sequentium contrariam opinionem Romanae & catholicae Fidei, esse deturbatos.* Ejus litteras integras referemus*. At catholici, qui comitiis tunc intererant, licet numero impares, palam nihilominus iniquissimo decreto, quantum licuit, obnuñciarunt; ac legitima contestatione, quam pariter ad calcem hujus Libri duodecimi descripsimus, facta in senatu & coram Principe, publicis etiam litteris ac tabulis consignata, reclamationum. Sed aliquid ulterius tentandi pro religione ac Societate, nec iis facultas erat, nec voluntas Principi. Spem nihilominus aliquam faciebat innata ipsi lenitas fore ut catholicis, licet invisis, temperaret, si diutius retinisset principatum. Sed hunc anno MDCVIII. sponte depositum tradidit Gabrieli Bathorio: cujus odium in catholicos par; indoles longe dissimilis; ferox, inhumana, crudelis: quemadmodum statim patuit.

Nam

Nam ut omnem Religioni ac Societati restituendæ viam præcluderet, proceres catholicos, quibus utraq; nitebatur, perdere statuit. Illos in suum & patriæ caput conjurasse fingit. Edicere comitia properat, in quibus variis criminibus per calumniam onerati, publica ordinum omnium voce tanquam perduelles damnarentur. Non latere catholicos funesta consilia. Obire comitia recusant: alii munitis arcibus includunt sese; alii fugam, alii arma, ut injustam vim repellant, moliuntur. Procerum facile princeps Balthasar Kornifus. Hunc fugientem, neque imparatum tamen, aut incomitatum assecutus cum expedita manu Bathorius, concurrit. Atrox oritur pugna. Sustentabat aciem Kornifus, proceribus partim cæsis, partim dilapsis; ac solus, instar agminis, cruentam impiorum edebat fragem, cum dejectus equo suffoso & concisus plagis capitur. Perductus ad comitia & indignum in morem habitus, rogat ne indicta saltem causa damnetur. Refutavit imposita sibi crimina; & erat hominis integritas provinciæ toti cognita. Movit ipsis hostibus commiserationem memoria pristina fortuna, conspectusque vulnere. Stabant omnes mærore defixi tacitque; etiam amici & familiares. Neque enim tutum putabant aliter illum defendere, quàm lugubri silentio. Ausus tamen est senex, primariis in regno functus muneribus, innocentiam viri & catholicæ causæ æquitatem voce libera defendere. Sed statim à Bathorii satellitibus comprehensus, & ante civitatis portam suspensus, frustra defendi apud iniquum judicem innocentes docuit. Ne Kornifus è vestigio raperetur ad supplicium obstitit nobilitas, pro viro sibi carissimo supplex, & ad Bathorii pedes advoluta. In longinquam abductus arcem est, ut indefectus & ignotus periret. Sed Religio ejus exemplis illustrata, & auctoritate atque opibus protecta, patroni sui nomen grata semper memoria prosequetur, & merita prædicatione celebrabit. Singulis Quadragesimæ, quam peregit ultimam, hebdomadis ad sacrum accedebat epulum; vino & piscibus, præterquam diebus Dominicis, abstinebat; sæpe cubans humi, & corpus voluntariis discrucians pœnis. Cum sacerdotibus prope sacerdotem dixisses, & religiosum cum religiosis viris, adeo studebat mores illorum æmulari & doctorum pietate, & probitate factorum. Nec idcirco tamen minus miles cum milite, duxque in acie strenuus ac fortis erat. Hanc hauserat virtutem potissimum è piis commentationibus à S. Ignatio descriptis in libello Exercitiorum Spiritualium, quibus animum excoluerat Brunsbergæ in collegio Societatis: nec dubitaverat, ex Hungaria profectus in Transsilvaniam, secum deducere P. Daniele Washarhelium, & eum domi suæ fovere, licet utrumque sancitis nuper legibus vetitum esset: magnum sui erga catholicam religionem ac Societatem nostram studii argumentum.

Funestam patroni tam potentis sortem cognovit P. Washarhelius è duobus ejus famulis ab infelici dilapsis pugna. Tristi confestim ululatu domus tota personuit. Kornifi conjux, frater, & amici nobiles hanc in arcem cum aliquot è nostris confugerant. Fit omnium fuga. Patres (nam eorum caput præcipue petebatur) vitatis Siculiæ silvis, per montium invias fauces in Valachiam Numinis ductu pervenerunt III. Nonas Apriles anni MDCX. à Valachiæ Principe perhumaniter accepti, ad catholicos Hungaricè verba fecerunt summa omnium voluptate: nam concionem ab annis tribus nullam audiverant, sacerdotis, qui linguam calleret, inopia. Inde Moldaviam ingressi, Constantinum Principem egregiæ indolis adolescentem adierunt, qui, licet schismaticorum erroribus implicatus, præclaros exules benignitate singulari detinuit apud se, donec vires debilitatas rescirent; ac discedentes in Poloniam comœatu liberaliter instruxit. Interim Calviniani collegium Societatis Albæ Juliæ occuparunt, ac solenni decreto pœnisque gravissimis propositis sanxerunt ne quis deinceps catholicus sacerdos pedem in Transsilvaniam inferret. Hos impiis animos faciebat Gabriel Bathorius, qui cæsis fugatisque catholicis primoribus, ut modo diximus, infectum illorum cruore gladium ad Calvinianum antistitem misit, admonens ut hoc exemplo in Papistas faviret. Neque tamen Bathorio perficere quod maxime moliebatur licuit, ut catholicos penitus sacerdotes amoveret. Non pauci latebris tecti mansere, imo unus Societatis sacerdos in omnium oculis. Ille in ædibus matronæ illu-

S. XII.

GABRIELIS BATHORII CONATUS
AD EXTERMINANDAM CUM RELIGIONE SOCIETATEM.

A.C. 1610.
Soc. 71.

148.

Balthasar Kornifi dynastæ catholici pietas memorabilis.

149. Patres ad necem quæſiti profugiunt in Poloniam: aliqui remanent in Tranſſylvania.

illuſtriſſimæ debebat, in arce Somlio Hungariæ finitima. Quem in portum jaſtati tempeſtate catholici ſe ſe recipiebant. Hinc opem in dubiis rebus, hinc ſacramenta, & alia Chriſtiana vitæ petebant præſidia. Quod cum Bathorius non neſciret, ſacerdotem hunc noſtrum à comitiis proſcribendum curaverat. Mentem ut mutaret, ac proprio diplomate amplam ipſi facultatem remanendi concederet, impetravit matronæ frater Paulus Veſelenius catholicus, idemque Bathorio in paucis fidus, ac præfectus ærarii. Alius è noſtris in Zakmarienſem arcem, ab ejus præfecto Andrea Doçio catholico evocatus, eo utiliorem navavit operam, quòd totum hunc tractum, qui ad Tibiſcum flumen late protenditur, obtinerent Calviniſtæ; nullo ſacerdote qui catholicos adjuvaret, relicto.

Sic varias fortunæ, nunc ſecundæ, nunc adverſæ, vices experta Societas in Tranſſylvania, ad extremum artibus hæreticorum, & immanitati ceſſit. In Anglia vices iſtæ non fuerunt. Bellum continuum & internecinum. Nullus ferme dies fluxit clade aliqua & calamitate non inſignitus; nullus ferè carcer, quem Societatis homines non ſubierint; nullæ inſidiæ, quibus appetita libertas illorum & vita non fuerit; nulla civitas alicujus nominis, in qua teſtimonium Chriſto & religioni Catholicæ, aut illuſtribus ærumnis, aut nece non dederint. Novam hanc ſcenam variis intextam caſibus, & annos plures complexam, in qua pietas cum impietate, cum aſtutia ſimplicitas innocens, patientia cum crudelitate certat, ac vincit, in peculiari explicare libro præſtat.

§. XIII. *Varia inſtrumenta, & litteræ ad Societatis in Gallia & Tranſſylvania cauſam ſpectantes.*

150. *Conteſtatio facultatum Pariſinæ univerſitatis contra Iacobum Ambroſium, ejuſdem reſtorem, in cauſa Societatis IESU.*

Ad num. 4. hujus Libri 12.

De nona Julii anno Domini 1594. cum in cubiculo domini Reſtoris Univerſitatis Pariſienſis, in collegio Navarrico, ab ipſo eſſent convocati procuratores nationum diſtæ Univerſitatis, & prædictus Dominus Reſtor de lite intentata Patribus Societatis IESU agere cœpiſſet, procuratores prædicti, ab eo ordine interrogati, proteſtati ſunt ſe nolle litem ipſis intendere, niſi circa negotium & diſciplinam Univerſitatis. De iis autem aut ex Univerſitate, aut ex Gallia regno eſcipientis nullo modo cogitaſſe, nec velle ad id conſenſum præbere, & ſuo nomine quidquam hujusmodi contra ipſos agi. In quorum fidem nos prædicti procuratores his ſubſcripſimus. *C. le Bel; procurator nationis Picardie. Gueroult; procurator Norwannie. G. Creſtonius, procurator Germanie.*

151. *Sorbone Decretum in eadem cauſa: ſumptum è tabulario Sorbonico.*

Suprà. Eodem n. 4.

De nona Julii anno Domini 1594. viſo & audito à ſacraſſimâ Facultate theologiæ Pariſienſis legitime congregata in majori aula collegii Sorbonæ, libello ſupplici à venerabilibus Patribus Societatis IESU ipſi Facultati propoſito, quo quidem expoſuerunt ſuperioribus menſibus venerabilem dominum Reſtorem univerſitatis, tam ſuo quam omnium Facultatum nomine libellum ſupplicem ſupremæ Parlamenti curiæ obtuliſſe, quo petierit ut ipſi eorumque univerſa Societas ex toto Gallia regno pellerentur; ac credibile non eſſe ſacraſſimam Facultatem huic petitioni conſenſum præbuſſe: ac propterea ſupplicaverunt quatenus placeret diſtæ Facultati declaratione teſtificari, hujus petitionis & litis intentatæ nullo modo participem eſſe: ipſa Facultas matura deliberatione

ſuper hac re habita in hunc modum cenſuit: Se quidem cenſere prædictos Patres Soc. IESU redigendos & recensendos eſſe in ordinem & diſciplinam univerſitatis, regno autem Gallia eſſe nullo modo expellendos. *Signatum Panet, Bidellus diſtæ Facultatis.*

152. *Litteræ Arnaldi Offati ad Villaregium: ſumptæ è Gallia ejus Epistoliarum ſylva. Lib. III. num. CIX.*

Ad num. 45. hujus Libri 12.

Heri convenit me Præpoſitus Generalis Societatis IESU, vir ſpectatiſſimus, ex Aquavivarum nobili domo, & illuſtriſſimi Cardinalis Aquavivæ patruus. Exhibuit mihi Pariſienſis curiæ decretum XII. Kal. Septemb. editum, quo præcipitur ut primum ejuſdem curiæ decretum adverſus Societatem anno MDXCIV. conſectum IV. Kal. Jan. vim ſuam omnem obtineat: ac proinde interdicitur, ne quis privatus aut magiſtratum gerens, ne civitas ulla, Societatis præſbyteros, aut alios ejuſdem alumnos nondum ſacris initiatos, gradumve in ea certum adeptos, tameſi ab illa deſciverint, ac nuncium profeſſioni priſtinæ remiſerint, præſciat ulli ſcholæ ſeu private ſeu publicæ, vel præfici patiatur. De hoc poſtremo Senatuſconſulto mecum queſtus Generalis placidiſſimè (eſt enim ſingulari moderatione ac ſapientia) expoſuit, quam enim per Cardinalem legatum alioſque petierit à Rege Pontifex ut homines Societatis IESU, ſaltem non ſuſpecti nominatim, redire ſinerentur in Galliam, cum id Eccleſiæ, Regis regniſque rationibus conduceret. Jam vero non modo non obſecundari Pontificiſci votis ac precibus, ſed decretum ipſum quo exilium omnibus promiſcûè irrogatur, comprobari, utque fortiatu exitum, decerni. Fieri non poſſe quin ea res Summo Pontifici & cuilibet cordato, vehementiſſimè diſpliceret, Regiſque ac regni hoſtibus materiam ſermonum daret. Queſtus idem eſt quod Societas, *ejaranda ſcilia* vocaretur in eodem Decreto, neque aliis, quam quibus hæretici uti ſolent, vocibus notaretur. *Quamobrem* oravit me plurimum uti litteras de his ad Regem dare

ne gravaret, illumque obtestari ut modum istis aliquando ac finem imponeret. Legi subinde quod attulerat senatusconsultum, & significavi dolere me quod editum in lucem foret; negavi tamen auctore vel consilio rege confectum, quo scilicet neque rogato neque consulto Parisini fenatores, quod videbatur, decernebant: præsertim cum abesset Lutetia, in castris ac medio armorum hostilium metu. Subjeci, quamvis hoc posterius decretum foret iniquum, mihi que permolestum accideret, minime tamen mirum videri, stante adhuc, necdum antiquato priori anni MDXCIV. decreto, cui consentaneum esse posterius oportuerit; in quo apparet, aiebam, pristina curiæ Parisinæ erga vos severitas; & id unum præsertim mihi dolet, nam quid aliud ex hoc decreto in Ordinem vestrum redundare mali possit non video; cum erepta vobis fuerint omnia quæ in Parisini senatus ditione erant; neque sit credibile ceteras regni curias in eo fervendo diligentiores fore quam in primo, vel ob eam unam causam, ne quis putet Parisinæ curiæ in alias aliquid juris esse. Quod attinet ad convicia que in edicto notaverat, respondi expectandum non esse aliud loquendi genus ab hominibus tam sinistra opinione de Societatis instituto imbutis, & odio flagrantibus: ceterum sanctæ nomen in rogatione advocati regii, non in ipso senatusconsulto existare. Ad extremum bono illum animo esse iussi, clementiam & lenitatem regis, etiam adversus illos à quibus atrociter vexatus fuerat, ostendi: Gallicam indolem universè esse placabilem: expecti Societatem in plerisque Gallia locis: sublatis dissidentia ac suspitionum causas, rege cum Ecclesia conciliato: nec dubitare me quin rebus pristinum in statum restituis, pax omnibus & concordia brevi redderetur. Interim laudavi ejus ac suorum moderatorem, hortatusque sum ut tales præbere se pergerent, caverentque ne Pontificis aut Cardinalium animos exasperarent. Non solum hæc te, inquebam, tuoque decet moderatio ac tolerantia, sed eadem certissima est conciliandi vobis regem Gallosque via, & id quod quaritis consequendi. Hoc vero si necdum consecuti estis, haud mirum est: nondum res maturuit. Itaque Pontifici de reditu vestro mecum agenti auctori fui, ut eam non urgeret prius quam Cardinalis legatus obtinisset alia, quæ promissa erant, ubi Rex in gratiam cum Ecclesia redisset. Quod si pax inter utrumque regem coalescat, momenti plurimum afferet ad negotium Societatis sententia componendum: quippe non jam vobis id obijcietur, quo plurimi causam vestram premunt, cum jactant vos plus nimio deditos Hispanis esse. His erigi vehementer & rescisi mihi visus est Præpositus Generalis, præsertim ubi affirmavi fore ut nihil novæ cladis ab hoc posteriore decreto Gallicis collegiis asseretur, neque illorum de Societate, qui urbes jam obtinerent in quibus nullum Parisino senatus jus est, quemquam ejectum iri. Sane illud confirmare possum, nihil æque regis negotiis, quantum attinet ad hanc aulam, nociturum, quam si Societas pellatur de locis ubi adhuc sedet. Incredible est quantum ea res Pontificis animum abalienaret, ac spes nostras infringeret: simulque votis hostium regis ac regni faveret. Romæ X. Kalend. Novemb. MDXCVII.

153. *Litteræ Clementis VIII. ad Regem Christianissimum, pro revocanda in Galliam Societate IESU.* *Suprà. num. 46.*

Carissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo Clemens PP. VIII. Carissime in Christo fili noster salutem. Novit optime Majestas Tua quanto studio atque ardore à nobis expetitur sit ut in Regno isto Christianissimo, nobisque in visceribus Christi carissimo, fideles vineæ Domini operarii clerici Societatis IESU retineantur, atque ubi opus est, restituantur. Sepe enim hoc de genere ad te litteras dedimus, & in forma Brevis & nostra manu sane efficaciter scriptas. Ac licet adhuc in re hac eos sollicitudinis & sedulitatis nostræ fructus non perceperimus, quos maxime opta-

Partis V. Hist. Societatis Jesu Tom. II.

bamus, quique merito expectandi videbantur, non tamen aut ipse destituimur, aut minus quam solemus, de tua in nos perspecta pietate nobis pollicemur; immo vero tanto magis incendimur, ut hoc ipsum à te quanta possumus contentione flagitemus. Urget enim nos caritas Christi, urget paternus erga Majestatem Tuam amor & Regni istius amplissimi spiritualis utilitas, sic enim intelligimus, ad Dei ipsius honorem & animarum salutem & ad tuam etiam regiam gloriam magnopere pertinere, ut religiosa Societas, de fide catholica & Ecclesia Dei tam præclare merita à tuo isto Franciæ regno ne excludatur; quin potius in eo, ut olim saluberrime factum est, & amanter retineatur, & ut vitis fructifera firmiter coalescat. Itaque ut vim desiderii nostri tanto magis exprimamus, hoc quoque ad cetera officia addendum putavimus, ut certum hominem & dignitate personæ & meritis idoneum, & nobis in primis gratum, hujus potissimum negotii causa ad Majestatem Tuam mitteremus. Is autem est Venerabilis frater Horatius Montanus Archiepiscopus Arelatenis, Prælati noster domesticus, præstanti virtute & vitæ integritate, quem eo libentius mittimus, quod illum tuo Regio & Christianissimo nomini addictissimum esse scimus. Hunc ut qua soles benignitate audias, fidemque ei cumulate habeas, à te petimus. Nam coram copiose exponer, quantopere hæc res cordi nostro hæreat, & quanto affectu eandem à te, hoc est, à Rege Christianissimo & filio nostro carissimo obtinere cupiamus. Multa nostri erga te amoris & perpetuæ voluntatis extant argumenta, multa vicissim tuæ in nos pietatis & observantiæ indicia; ut nihil non jure optimo de te nobis polliceri debeamus. Dei est, quod à te quærimus; Deo acceptum, Regno tuo perutile, tuique animi magnitudine & catholice religionis zelo plane dignum, & nobis, supra quam exprimere facile possumus, gratum. Quare, fili carissime, imple desiderium nostrum, quod te certe facturum speramus, & ut facias Majestatem Tuam quam efficacissime hortamur. Datum Ferrariæ sub Annulo Piscatoris die 25. Nov. MDXCVIII. Pontificatus nostri Anno septimo.

154. *Ejusdem in eadem Societatis causa litteræ ad Cardinalem Gondium.*

Dilecto filio nostro Petro, Venerabili Sanctissime Trinitatis in monte Pincio presbytero Cardinali Gondio nuncupato Clemens PP. VIII. Dilecte fili noster salutem &c. Anxii valde sumus pro nostro pastoralis officio, ut clerici Societatis IESU, viri religiosi & fideles operarii in vinea magni patris familias, in regno Franciæ retineantur, & ubi opus est, restituantur. Quæ vero nos causæ promoveant, tu ipse pro tua prudentia facile æstimare potes, quæ sane sunt gravissimæ; honor Dei, zelus salutis animarum, & amor paternus noster erga carissimum filium nostrum Regem, & regnum istud Christianissimum. Nam quo magis & Regem & regnum amamus in visceribus caritatis Christi, tantò nos ardentius expetere necesse est, ut servi Dei de catholica religione præclare semper meriti, in regno catholico, præsertim tam necessario tempore, conserventur. Itaque ea de re sapius per litteras egimus cum eodem filio nostro Henrico Rege; & nunc nominatim, hujus negotii causa, placuit certum hominem mittere, qui vim desiderii nostri tanto efficacius coram exprimat, & quod maxime optamus, Deo auctore, te quoque adjutore, efficiat. Is autem est Venerabilis frater Horatius Montanus Archiepiscopus Arelatenis, Prælati noster domesticus, ob vitæ integritatem, rerum usum, & spectatam fidem nobis valde gratus, qui cuncta uberius tibi exponet: cui propterea fidem cumulatam habebis. Scimus autem te, pro tua in nos & hanc sanctam Sedem pietate, quacum conjunctissimus es, & pro tua in patriam caritate, stimulis non indigere, ut quæ ad Dei gloriam & publicam utilitatem pertinere, quæque nobis grata & optata esse intelligis, tua opera, gratia, auctoritate, omnique officii genere adjuves: sed tamen quia hæc res nobis cordi est valde, & quia hoc in primis personam tuam decet, te magnopere hor-

hortamur & requirimus, ut ad tam pium & salutare negotium conficiendum eidem Archiepiscopo & promp- te & efficaciter suffragetur. Datum Ferrariae sub An- nulo Piscatoris die . . Novembris MDXCVIII. Pon- tificatus nostri anno septimo.

155. *Henrici IV. littera ad Praepositam
Generalem Societatis IESU.*

Domine Generalis. Vestrae Religionis restitu- tionem in meum regnum complexus sum ex animo, impulsus causis Christianissimo dignis Princi- pe, qui Divinam gloriam promovendi & regnum suum florere cupiat. Praeterea bonam in partem accepi, quae locutus es cum cognato meo Cardinali Oflato, cum- que meo Oratore, de quibusdam capitibus conditio- num huic restitutioni appositurum; nec non epistolam à te mihi scriptam XII. Kal. hujus mensis. Et quon- iam uterque illorum meam tibi mentem exponet, pluribus ea de re scribendis superfedebam. Eandem il- lis ac nobis ipsis, quae, adhibeas fidem, tibi que persuadeas, hanc vestram restitutionem ita mihi cor- di esse, ut ejus operis curam ante depositurum non sim, quam illi manum ultimam addiderim. Quare velim ut bono animo & quieto sis, fretus mea fide ac patrocinio, qui praeter studium bene vobis facien- di, certius etiam quam quisquam alius exploratum habeo, quid res ista poscat. Deum precor, Domine Generalis, ut te salvum & incolumem servet. In regia Fontisbellaquei villa XIII. Kal. Dec. MDCIII.

156. *Epistola Arnaldi Cardinalis Oflati
ad Villaregium Henrici IV. administrum.*
Lib. IV. ejusdem Oflati Epist. num. CXIX. Supra. num. 42.

Multus hic variusque sermo est de regii consilii decreto, quod exeunte Novembri editum fuit contra Patres Societatis, quo jubentur Turnonio ac tota Gallia facessere, post tertium ab decreto ipsis rite significato mensem. Audies commodius à Luxembur- gio, quid cum ipso locutus ea de re fuerit Summus Pontifex; qui prope illum idcirco accessit die Jo- vis IV. Kal. Martias, nec sustinuit expectare dum dies Veneris illuxisset, quo die orator Galliae Pontificem adire consuevit. Meminisse potes quid ad te scripserim V. Kal. Novembr. de consimili decreto, & quid a te responsum acceperim pridie Kal. Decemb. Pergam non- nulla hoc de argumento perferbere, quae pro tua prudentia considerabis ipse ac reliqui proceres, qui sanctiori consilio regis interfuerunt: idque primum om- nium profitebor, venerari me quaeque à sapien- tissimis viris decernuntur; qui supremas Galliae mode- rantur curias, ac praesertim ad interiora consilia regis adhibentur: neque me Patribus Societatis esse dedi- tum praeter ceteros, aut eorum causae patrocinari vel- le. Regis unius causam rationeque specto, quibus obesse graviter hoc decretum potest, praesertim in curia Romana, ubi quae cernantur à nobis & quotidie audiantur, nostri muneris est vos facere certiores. Sentio equidem decreta haec à rege minimè proficisci, nihilominus eorum invidia omnis in eum unum, si vim illa suam obtinerent, redundaret, ejusque nego- tiis certissima inde pernicies crearetur. Sanè, si reli- gionem catholicam à puero seclatus esset, non tam facilis praeretur locus sinistris suspitionibus & inter- pretationibus, cum aliquid ab eo fit, quo laedi reli- gio censeatur: nunc vero, quia tardius ad Ecclesiam accessit, omnia in deteriorem accipiuntur partem, unde refricari praeteritorum possit memoria, quamvis in- nocenter ac sine deteriore consilio res gerantur. Gra- ve id in primis videtur, iterum expelli promiscuè re- gno illos, qui existimantur praestare nunc omnibus doctrina, & arte quadam erudienda juvenutis; qui in excipiendis confessionibus, administrandis sacra- mentis, habendis concionibus, tuenda religione cat- holica, & auctoritate Sedis Apostolicae, ceteris di- cuntur anteire. Expelli vero nulla nova occasione ab illis data, per meram quasi nocendi & vexandi cu- piditatem, tertio post editum adversus eosdem decre-

tum anno, & duobus cum dimidio post concessam Regi à Pontifice abolitionem, qua omnes obortae de illis suspiciones conciderunt.

Huc adice, quòd Summus Pontifex apud Regem insitit, ut illi etiam, qui pulsi erant ex urbibus ubi jus dicit senatus Parisiensis, in eas restituerentur: ad- de quòd ejiuntur inspestante Legato Apostolico, regis & regni studiosissimo, per quem rex nomine Pon- tificis oratus impense fuit, ut eos revocaret: quòd ejiuntur sententia sanctioris Consilii, cujus nullum haecenus extabat in ista causa decretum, senatu Pa- risiensi uno tragediam hanc agente; qua uti excu- satione solebamus, regem nequaquam auctorem ear- um rerum esse dicitantes. Jam praclusus omnis est huic responsioni locus. Isthac omnia plerique hic am- pliciant, & in pessimam torquent partem: stomacha- tur praecipue Pontifex, ac summo dolore afficitur; hunc auctoritatis suae, suarum precum, benevolentiae suae contemptum; hanc iniustam Sedi Apostolicae maculam interpretans. Sic enim loquitur: & quod pejus est, suspicatur ac timet ne vere ac sincere con- versus ad fidem catholicam Rex non sit: ac majora quadam Ecclesiae in Gallis pericula & exitia reformi- dat. Est ejus quoque praecipua quadam causa, & ra- tio, praeter Ecclesiae universae, Romanaeque Sedis, detrimendum. Nempe ipse ab Orbe Christiano reus te- mere absoluti regis & agniti diceretur, & praesertim ab illis, qui eum à rege deceptum iri clamitabant. Et quamvis Pontifici nullum unquam rex locum de se pejus existimandi daturus sit; nihilominus ita fit, cum semel sinistra de Principe opinio mentes, iure an injuria, occupavit, ut ab amore & benevolentia sensim ad odium homines traducantur, & ad partes factiosorum inclinent. Quod cum probe intelligas, tum etiam vides quantum ad regis negotia confir- manda possit asserere momenti Roma: sed multo plus eadem illis asserere damni potest. Docent id factis su- perque extrema Henrici III. tempora, & qui proxime fluxerunt anni sex. Hispaniae Rex cum suis mar- ritimis ac terrestribus copiis, nobis obesse tantum nequit, quantum Romana Curia sedens & quiesca. Quamobrem omnino convenit, ut, quando rex & vos qui illi adestis, aliquid decernitis, oculos reflectatis identidem huc; & quemadmodum accipiendum sit à Pontifice, perpendatis, quemve sint res exitum habiturae. Porro autem non potestis Pontificem & curiam hanc à regis causa longius abducere, quam si jubeatis, ut edicto geratur mos lato contra Socie- tatem IESU anno 1594. XIV. Kal. Januar., cum praesertim ab annis quatuor inciderint tam multa, quae vos ab isto debent consilio penitus deterere. Neque vero istum Romanae curiae stomachum & agri- tudinem lenire prolixia regis ad expeditionem Fer- rariensem adjuvandam promissa: imo vero praerent causam suscipiendi, haec omnia non ab regis in Pon- tificem & Sedem Apostolicam grato ac memori animo profecta esse, sed potius ab utilitatis propriae studio, ad bellum procul avertendum à Gallia, & commodi quidpiam ex Italia incommodis capiendum.

Atque haec quidem Romae ab ejusmodi edicto per- timefcenda sunt, de quibus sufficeret à me vos mone- ri, ut officio satisfacerem. Sed longius progressi me cogit regis famae causaeque studium; ac vobis denunciare, quod haud temere suscipari videor, fore nimirum ut ab hoc edicto non leviter adversus regem commoveantur omnium catholicorum animi, cum Gallorum tum etiam exterorum, prout eorum quic- que religioni & Societati studet. Dynastae catholici ac Principes exteri, qui Galliae ac regi nunc favent, remittent ardorem pristinum, ac de re Gallicaeque rebus pejus existimabunt: contra erigent animos His- pani, Dux Sabaudiae, & eorum foederati: novaeque spes, nova consilia suscipiant. Omitto plerisque alios in ipsa Gallia, qui turbandi occasionem hinc sua sponte sunt arrepturi. Dux Mercorii, cui bellum propediem à vobis indicendum praedicatur, quique hanc unam avertit, cur adhuc regem non agnoverit nec posuerit arma, causam, quòd religionem non- dum videat apud Gallos bene constitutam, putabit eam se aulae Romanae, ceterisque astatim probavisse. Alii qui cum rege redierunt in gratiam, partim oc- culta

culta confirmabunt odia, partim ad antiquas suspiciones, ad pristini fœderis dissidia, & obliteratas feliciter querelas formidinesque revolventur. Sin vero per idem tempus hereticis aliquid remitteret condonaretque Rex, quam ei necessitatem imponendam temporum iniquitate, ac majoris mali metu, nonnulli arbitrantur, Jesuitarum exilium seditiosis ac perturbatoribus præclarum in speciem prætextum offerret, gravissimamque haberet apud Pontificem & catholicos Principes offensionem; qui nunquam inducerent animum, regem id fecisse temporibus coactum, sed impulsu studio hæreses fovendæ, ac religionis opprimendæ.

Quidquod Patrum Societatis exilio nequaquam hereticorum eorumdem animi arctius adjungerentur ad regias partes, imo illis fierent infestiores. Essi enim expulsus gauderet Ordinem sibi perquam inivisum, nihilominus cum intelligeret, hac regis acerbitate alienatos ab eo tum foris tum in ipsa Gallia, catholicos, majores inde fumeret spiritus, ac minus in potestate ac fide regis forent; cui necessariam esse operam suam intelligerent, & cui minorem viderent suppetere ipsos compescendi, si quid auferent, facultatem. Id vero cernere licuit occupato nuper Hispani regis armis Ambiano, cum Rex eorum opem & arma, ut amplissimam urbem reciperet, excivit. Quam fastidiose, quam cunctanter ad Gallicam rem in tanto discrimine defendendam accesserunt? quam callide opportunitatem hanc petendi qua vellent, & extorquendi, captarunt? Quid? cum Caletum nuper est amissum, Anglis cum instructa classe spectantibus? an non facile munitissimam hanc arcem Gallix servare, nullo suo detrimento potuissent? Nempè adversis in rebus reges, perinde ac mortales ceteri, amicis & clientibus destituti jacent. Quapropter, quanto arctius Rex catholicis conjunctus erit, tanto vigebit magis ejus auctoritas, tanto fideliores amioresque non catholicos modo, sed ipsos quoque ac novæ religionis asseclas nanciscetur. Neque video quid opponere istis rationibus possint, qui Societatis homines iterum expulsos volunt. Nam quod dicitant eos esse regis hostes, corruptores juventutis, auctores occidendorum regum, Hispanorum speculatorum; sane, si est ita, nihil habeo quod defendam; nec illos, uti professus initio sum, si quid peccarunt, excusatos & immunes pœnæ esse velim: non potest satis magna diligentia in capite regis tuendo, in asserenda regni salute, adhiberi. Sed hæc tamen, que in eos jactantur, non è sermonibus vulgi, sed ex iis quæ senatus, quæ vos ipsi cognoscere potuistis, judicanda sunt. Illud certè constat, quidquid antea moliti aut locuti fuerint, ideo factum ab iis vel dictum esse, quia rex nondum in Catholicorum receptus fuerat cœtum, nondum excommunicationis vinculis exsolutus. At nunc iis locus non est, rege ad Ecclesie sinum reverso, & censuris absoluto. Societatis JESU alumni peculiarem Pontifici obedientiam profitentur: cavebunt ne quid in eum moliantur, quem à Pontifice receptum in gratiam, & pro rege agnitionem intelligunt. Idem suis rebus prudenter & cautè norunt consulere, neque committent quidpiam, unde ipsis asserri possit exitium: idque cavebunt multo diligentius, quam alii quidam, non eadem prudentia & sagacitate præditi. Ac sane Jacobus ille Clemens, Jesuita non erat. Huc adde quod in eas modo sunt angustias redacti, ut verendum non sit, ne ad aliquid tentandum, aut pro Hispanis, aut contra regem regiamve stirpem inducantur iis artibus, quibus olim proborum credulitate adversus Henricum IV. est incitata. Denique pollicetur Pontifex daturum se operam, ut amoveantur è Gallia quicumque ex illis in suspicionem aliquam venire poterunt.

Ejusmodi homines igitur, si qui restant adhuc in Gallia, penitus ejicere, non est regis hostes exigere, sed augere: non obesse Hispanis, ac prodesse; Gallorumque catholicorum animos à regis causa, tunc maxime cum eorum presidio indiget, abalienare. Multo quoque convenientius videtur illi, quam rex erga omnes alios adhibuit, clementiæ, nihil negotii facessere istis Societatis in Gallia reliquiis, quæ ex atroci mens Decembris anni 1594. procella evaserunt, easque

potius beneficio demereri. Et vero hujus unius Instituti cultores majori pollent industria & dexteritate ad continentum in obedientia, & debita regi fide populum, quam alii fortasse omnes simul Ordines religiosi: idque procul dubio, si eorum adhibeatur opera, facient, tum ut officio fungantur, tum ut iniustam suo nomini labem deleant; atque adeo ut eorum è suo numero, qui ex iis, ubi jus dicit senatus Parisinus, locis expulsi sunt, reditum obtineant. Præterea, si rex postremum hoc edictum irritum esse patiat, futurum confido ut vehementer confirmet præclarum de ipso iudicium & benevolentiam Summi Pontificis, Romanæ curiæ, omniumque in Gallia & extra Galliam catholicorum: non sine gravi Hispaniæ & aliorum regis regni que hostium, dolore ac damno.

At enim, inquirunt, irritum esse non debet edictum Parisiensis curiæ, multo vero minus edictum sanctioris Consilii. Cur ergo tot alia ejusdem curiæ & Consilii edicta jacent irrita? quin eandem adhibent curam & religionem ad ea exequenda, quæ profecto cum privatorum complurium, imo regis ac regni universi utilitate sunt conjuncta? Hæc in exequendis edictis adhiberi debet regula, ut vim suam obtineant, si ita ferat Principis ac publica res; sin vero nocitura Principi vel populo deprehendantur, quod de isto demonstratum est, abrogentur. Tum, quem in eo exequendo servari modum volunt? An à solo Turnonensi collegio Societas exigetur, an ab aliis omnibus? si à solo Turnonensi, quodnam opera pretium fiet? Turnonium provinciæ caput non est: nullus ibi senatus, Episcopi sedes nulla, nihil quo ceteris urbibus præluceat. Nec levior tamen erit catholicorum offensio; sed par metus, ne in omnia similiter collegia tempestas detonet. Id si non fiet, temperatum dicent majoribus oppidis, ne forte mos ab iis edicto non gereretur: sic ad odium contemptus etiam accedet. Quod si collegiis omnibus paratur eadem vastitas, an simul omnibus inferetur? an singulis post triennium, ut Turnonensi? Si omnibus simul, vereor ne populus non obtemperet, ac seditionem moveat; ne curiæ reclamant. Id in ipso Turnonensi collegio, in urbe minimè magna, aut turbulenta, formidatum fuit, ut apparet ex eodem Consilii sanctioris edicto, in quo præcipitur Comiti Turnonio, ut omnem conatum adhibeat ne intercedant edicto cives, ac discessum Societatis ex urbe sua impediatur. Ipsemet recorder effici non potuisse, ut Jesuitæ Burdigala vicinisque civitatibus excederent, etiam tum, cum detestabile Castellum facinus in mentibus omnium ac pene in oculis adhuc erat: quamvis senatus Burdigalensis a rege flaret, ejusque in fide semper manserit: multo igitur minus sperandum est, idem tanto post tempore perfici posse, rebus per se se ad pacem & concordiam adductis. Itaque novissimus error esset pejor priore. Nam remaneret suis in collegiis, neque ulla idcirco regi haberetur gratia: imo premeretur populi odio, quod eos voluisset ejicere; & contemptu, quod non potuisset: eidemque populo accresceret audacia & animus ad edicta posthac publicæ rei utilia, perfringenda. Jam, si singillatim & interposito spatio collegia disturbari placet, præter eadem quæ inde nascerentur incommoda, illud etiam accedit, quod obduca vulnera toties refricarentur, redintegrarentur dissidentia, ac metus; Romæ, Pontificis & catholicorum omnium indignatio.

His de causis, videtur omnino fatius, intra limites rerum hæcenus gestarum continere sese, satisque habere quod edicto Parisiensis curiæ obtemperatum fuerit in urbibus, quæ ab eadem curia jus petunt. Et vero edicta istius generis asperiora contra Ordinem unum & corpus lata sine discrimine, vix unquam ubique & in omnes universè valuerunt. Partim admittæ, partim repudiata fuerunt, præsertim cum, tempore interjecto, datus est cogitandi locus, ac temperandæ severitatis. Quamobrem auctore S. Ambrosio Theodosius legem sanxit, quæ adhuc extat in codice Justiniano, quæque præcipit, ut severiores animadversiones & pœnæ, licet ab ipso imperatore irrogatæ, exitum non fortiantur, nisi trigesimo post die. Quo etiam pertinet Artemidori philolopi consilium, Augusto suadentis, ne quid iratus decerneret, nisi recitatis

tatis fingillatim litterarum elementis. Tres intercesserunt anni, per quos vobis leniora suscipere consilia licuit: quæ si placent, effugietis ea de quibus differui modo, gravissima detrimenta: & regis causam, salva senatus Parisini & interioris consilii fama, plurimum adjuvabitis. Si nimirum prædicabitis edicta ab iis lata; vim suam fuisse prorsus habitura, nisi rex causæ totius cognitionem arbitriumque ad se revocasset, atque in gratiam Summi Pontificis ac Legati Apostolici, partem edictorum, quæ perficienda supererat, inhibuisset. Ita plane monent sapientissimi gerendæ reipublicæ magistri, legum asperiorum invidiam in regum administratos derivandam esse: at lenitatis & clementiæ partes ab ipsismet regibus obeundas. Vicit se ipsum rex in tot aliis rebus: operæ pretium est ut se in ista quoque vincat, ex qua tam gravia, uti dictum est, oriri possunt incommoda. Quod si tum maxime, cum egregia dat quotidie regalis clementiæ documenta, pergeret in istos unos durus & inclementis esse, quis non inrelligit acerbitatem hanc à Pontifice, & ab aliis omnibus acceptum iri, tanquam signum animi à præstantioribus catholicis alieni, ac forte quidpiam contra religionem ipsam meditantis? Quæ cum ita sint, te ac regios administratos, quicumque sunt moderatiores, & in prospiciendis rerum eventibus prudentiores, simulque regis dignitatis communisque boni quam suarum opinionum & cupiditatum amantiore, rectè ac sapienter facturos existimo, si detis operam ut rex id concedat famam suam, reditus ad Catholicam Ecclesiam sui sinceritati; reverentiæ, amori, precibusque Summi Pontificis; præfentiæ ac benevolentiam Nuncii Apostolici; toti sacro Cardinalium collegio; catholicis omnibus, exteris Principibus; studiis votisque Gallorum, hujus negotii exitum summa cum sollicitudine expectantium; inimicorum regni ac perturbatorum, pudori ac dolori; necessitati denique temporum, quæ monet ita tractandos populi animos, ut ne illi præbeatur ansa offensionis & querelæ, unde motus graviores oriantur. Facite ut cogitetis atrocitatem edicti; hujus causas jam sublatas esse; difficilem ejusdem exequendi viam, ac pene nullam; gravia, quæ consequentur, si valeret, pericula. Revocate in memoriam quibus è procellis Rex & Gallia nuper emerla sit: utriusque tranquillitati, famæ, utilitatibus, confusite: nec præfentia tantummodo, sed instantia; non vicina duntaxat, sed remota, considerate. Postremo sic statuere, id omnino consentaneum esse regis clementiæ singulari ac bonitati, quæ domesticas ejus laudes ac bellicas hæcenus incredibili gloria cumulavit. Vale. Romæ III. Non. Martii MDXCVIII.

157. *Decretum Præpositi Generalis Societatis IESU.* Ad num. 94.

Claudius Aquaviva Præpositus Generalis Societatis IESU. Quandoquidem Societatis scriptoribus, ac Theologis qui docent, ceterisque omnibus operariis haud satis est id solum providere, quod in aliorum scriptorum libris reperitur, sed illud etiam apprimè considerandum, sintne opiniones validis nixæ fundamentis, tutæ, probatæ, scandalis aut aliis incommodis minimè obnoxie: Ideo sane justissimas ob causas, quæ ad hoc consilium nos impellunt, præfenti decreto præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ sub pena excommunicationis & inhabilitatis ad quævis officia, suspensionis à Divinis & aliis arbitrio nostro reservatis, ne quis deinceps nostræ Societatis Religiosus publicè, aut privatim, prælegendo seu consulendo, multo etiam minus libros conscribendo affirmare præsumat, licitum esse cuicumque personæ, quocumque prætextu tyrannidis, Reges aut Principes occidere, seu mortem eis machinari. Ne videlicet isto prætextu ad perniciem Principum aperiat via, atque ad turbandam pacem, eorumque securitatem in dubium vocandam, quos potius ex divino mandato revererè ac observare oporteat, tanquam personas sacras, à Domino Deo pro felici populorum gubernatione in eo gradu constitutas. Provinciales autem, qui aliquid horum fecerint, nec emendave-

rint, aut non præverint hujusmodi incommoda, efficiendo ut hoc decretum sanctè observetur, volumus eos non modo prædictas penas incurere; sed etiam officio privari. Ut sic omnes intelligant quis sit ea de re Societatis sensus; neque privati error suspectam reddat Societatem universam: quum apud equos rerum æstimatores certum sit, partis unius aut membri culpam toti corpori reliquo attribui jure non debere. Volumus præterea, ut Provinciales de hoc accepto decreto certiores nos faciant, idemque per suam quisque Provinciam curent promulgandum, & in singulis domibus & collegiis referendum in libros ordinationum, ad perpetuum ejus memoriam. Datum Romæ VIII. Id. Quintil. MDCX.

158. *Ludovici XIII. Regis Gallia diploma in gratiam Societatis: editum anno MDCX.*

Ad num. 88.

Ludovicus, Dei gratia Franciæ & Navarræ Rex. Cum Henricus Magnus, dominus & parens noster, ad suum obsequium, & regni sui utilitatem pertinere ac perquam necessarium esse judicasset Patres Societatis IESU inducere suum in regnum, & in omnes ditionis suæ civitates, ibique sedem illis fixam ac stabilem ponere: iidem, de consilio Principum consanguineorum nostrorum, & præcipuorum regni administratorum, concessit sua sponte, pro regia potestate & auctoritate, rebus omnibus accurate discussis & plane cognitis, facultatem in Galliam redeundi, & consistendi: tum in iis urbibus quarum mentionem facit promulgatum edictum Septembris mense anni MDCIII. tum in aliis postmodum per litteras regias designandis. Idem edictum in regii senatus nostri Parisiensis tabulas relatum IV. Nonas Januar. anni MDCIV. ex eoque Societas rite restituta fuit, summa Gallorum omnium voluptate, qui votorum compotes facti sunt, cum liberos suos ad pietatem pariter & bonarum artium studia rectè institutos habuerunt. Ipsos quidem Societatis Patres dominus idem ac parens noster ita probavit, tamque singulari benevolentia complexus est, ut apud eos cor suum deponere statuerit; quod illis reipia traditum, & in templum Flexienfè delatum est. Ne cui vero mens venire in dubium nostra possit, testatum volumus isto diplomate, nostra manu subscripto, nos re penitus cognita, nostra sponte, pro regia potestate atque auctoritate, iidem rationibus, quæ dominum & parentem nostrum impulerunt, quæque adhuc integræ stant, permotos, de sententia dilectissimæ & honoratissimæ reginæ matris nostræ, consanguineorum nostrorum Principum, ac præcipuorum regni nostri ministrorum, laudasse, confirmasse, probavisse ac ratam habuisse; laudare, confirmare, approbare ac ratam habuisse; receptam in regnum nostrum & in omnes juris ditionisque nostræ provincias, Societatem IESU: & quantum opus est aut erit, denuo concessisse ac permisisse, concedere & permittere, uti degat consistatque in iis, ubi est modo, locis, aut in memorato anni MDCIII. edicto continentur, aliisque domini ac patris nostri litteris & mandatis. Quibus eam uti & gaudere volumus, eodem pacto quo usæ est hæcenus, quo nunc utitur & gaudet. Præcipimus nostris ubique ministris, ut non obstantibus quibuscumque litteris contrariis, istarum fructu integro, pacato ac perpetuo Societatem impertiant, nulloque parcant operæ, quò vim suam omnem obtineant.

159. *Sigismundi Rakocii, Transilvania Principis, de Societate IESU testimonium.*

Ad num. 147.

Nos Sigismundus Rakocii, Dei Gratia Princeps Transilvania, partium Regni Hungariae dominus, Siculorum Comes &c. Significamus tenore præfentium,

tium, quibus expedit univērsis, quod superioribus diebus R. P. D. Joannes Argentus Societatis JESU ap̄tea in Transilvania Provincialis, in hoc regnum Transilvania eam ob causam venisset, ut à nobis & subditis nostris, in dicto regno nostro Transilvania & partibus Hungariæ ditioni nostræ subiectis, impetraret ut in priora residentie sue loca, olim à D. Stephano Rege Poloniae, Magno Duce Lituaniæ, ac Principe tunc memorati regni Transilvaniæ fundata, simul cum reliquis Patribus ac Magistris ejus Ordinis, regredi liceret. Eam rem in comitiis Generalibus Claudiopoli ad decimam diem Mensis Junii præfenti anno celebratis diu multumque agitatam, numero & multitudine catholici ab adversariis eorum superati consequi non potuerunt. Unde nos præfentibus nostris testificamur, eisdem Patres Societatis JESU, ut bonos & morum integritate graves viros, ex suis collegiis bonisque, non ob *ulium delictum aut notæ alicujus vitium*; verum ad infantiam *Romanæ & catholice Fidei contrariam opinionem sequentium*, esse deturbatos, excludos, & in alia loca demigrare coactos: prout testificamur harum nostrarum vigore, & testimonio literarum mediante. Dat. in civitate nostra Colofvar, die 26. Junii Anno MDCVII.

Sigismundus Rakocii m. p.

160. Contestatio Catholicorum Transilvaniæ contra decretum ab hæreticis conditum adversus Societatem.

ad num. 147.

NOS subscripti, in unitate Fidei catholice Romanæ Ecclesiæ consentientes, Regni Transilvaniæ, partiumque eidem adnexarum, tum incolæ, tum in eadem iisdemque possessionati, ad univērsorum tam præfentium quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire: Quod nobis una cum aliis sectariis, puta Lutheranis, Calvinisticis, Arianis, aliisque privatæ opinionis assertoribus; non desinendæ religionis causa, vel ad exterminationem Societatis JESU, verum pro tractandis aliis cum privatis tum publicis regni negotiis, huc Claudiopolim ad Generalem Dietam congregatis; cum R. P. Joannes Argentus, ejusdem Societatis sacerdos, & in hac Transilvania Vice-Provincialis, qui non tam pridem à Serenissimo Principe Stephano Bockai proprio arbitrio, absque regnicolarum consensu, violenter è bonis propriis & stabilibus residentis, cum focus aliis ejectus fuerat; defendendæ propriæ innocentie causa, & intervenientibus etiam commendatitiis Serenissimi Principis, & Domini D. Matthiæ Archiducis Austriæ, &c. juxta mentem sacratissimæ Majestatis Cæsareæ emana-

tis, coram statibus & univērsis Ordinibus hujus regni, in templo Arianorum ad longum auditus fuisset; sui que adventus causam, innocentiam, doctrinæ veritatem, morum integritatem abundè demonstrando, justitiam implorasset; & si qui essent qui his contrarium tum rationibus, tum veris testibus docerent, prodire flagitasset; idiptum nos omnes catholici ab adversariis contra Patres Societatis tantum mutua conspiratione unitis postulasset; quod videlicet indicta causa nullis testibus convicti è propriis sedibus & bonis Patres Societatis non modo non exurbarentur; verum contra omnem æquitatem à Serenissimo Stephano Bockai ejecti, suis locis juribus & liberis catholice religionis exercitiis restituerentur. Ubi adversarii se causam desperatam tueri, nec rationibus aut equitate quicquam se consequi posse animadvertissent; obstinata pertinacia & tumultuario clamore in id consentissent, ut Patres Societatis ex hac Provincia penitus eliminarent; cui sententiæ uti contra equitatem & communem justitiam, quæ sua cuique reddi, nec quemquam inaudirum, non convictum, non sententiatum damnari suo jure postulat, subscribere haud potuimus; verum omnium nostrum nomine, tam præfentium quàm absentium Catholicorum, fratrum nostrorum successorumque nostrorum, de hac indigna, inaudita, juribusque regni contraria sententia in publica Dieta, tam coram univērsis contrariis statibus & Ordinibus regni, quam coram ipsomet moderno Principe nostro Illustrissimo Domino Sigismundo Rakocii, adjunctisque consiliariis ejusdem, solemniter protestati, eidem contradiximus; nunquam huic sententiæ, Patrumque Societatis JESU ejectioni, bonorum juriumque eorundem ablationi, consentire volentes: Siquidem à piis legitimisque hujus regni Principibus fundationes suas, privilegia sua, confirmationesve habeant; neque alicujus vel levissimi criminis, cur ea de jure amittere potuissent, unquam convicti fuissent; prout contradicimus præfentium per vigorem. Datum Claudiopoli 20. Junii Anno Domini MDCVII.

Franciscus Daroczy de Deregyco, Sacre Cæsareæ & Regiæ Majestatis Consiliarius. Baltasar Kornis Consiliarius Illustrissimi Principis. Baltasar Syroasi Consiliarius Illustrissimi Principis. Lucas Trausner Kolusvarius de Hadreno, Illustrissimi Principis Transilvaniæ Consiliarius, & in Sede Judiciaria præsidiens. Sigismundus Kornis de Ruska. Benediculus Mindzeuti, Comes Comitatus Dobok. Sigismundus Sarmasaghi, Comes Comitatus Thorodensi. Pancratius Sennes. Stephanus Huszar. Petrus Banff de Losonez. Joannes Kalnaki. Clemens Beldi. Blasius Kamuty. Gregorius Bornemissa, Juris utriusque Doctor, & Sedis Judiciariæ Illustrissimi Principis assessor. Simon Lody. Paulus Konez. Ladislaus Kraynik. Georgius Nagy. Melchior Betenici.

